



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancta Communitas, In Paupertate religiosa inviolata

Wissingh, Anton

Coloniae Agrippinae, 1699

Liber IV. De Cura Superiorum circa S. Regularem communitatem
introducendam, & conservandam [et]c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49611](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49611)



LIBER IV.

*De Cura Superiorum circa S.
Regularem Communitatem intro-
ducendam, & conser-
vandam, &c.*

I. **N**Otabit hic pius Lector, propositum meum non esse, velle taxare Prælatorum aliorumque Superiorum Regularium aut Officialium dicta, tacta suggillare, iisve legem præscribere, docere, arguere, corrigere, despiciere, confundere, damnare &c. Absit; potius omnes in gradu suo pro merito suo amo, honoro, & revereor; immo potius ab unoquoque ipsorum legem libenter audio, reverer accepto, obedienterque complebo, favente Summo Numine, nam *Angelus Domini exercituum est.* Malach. 2. 7. Solum ad consolationem Fratrum meorum, & ad erectionem animorum pusillanimum (quorum sanguis exquiretur de manibus meis; pro quibus proinde vi juramenti, quò ipsis & Deo devinctus sum, rationem strictissimam reddere cogar ante tribunal metuentium Domini N. Jesu Christi) ex libris sacris, &

Do-

Doctoribus piis collegi, quæ sparsa inveni, per quæ cum ipsis & pro ipsis convinci & erudiri potui, non esse adeo difficile in *communitate perfecta vivere*, dummodo Superiores cum subditis serua adhibentes invicem adminicula velint ex charitate collaborare, securim ad radicem ponere, corruptelas tollere, abusus eliminare, consuetudinem consuetudine meliore vincere, & divini Nominis gloriam quærere in omnibus propagare, &c. *Ad quod faciendum* ipsi præ subditis eò amplius obligantur, quò pro suis, eorumque animabus, insuper & pro Regulæ neglectu, ac Ordinis contemptu, in die ultionis multiplicem rationem reddere cogentur. Dum ergo ad Superiores sermonem dirigo, tunc vel verba Scripturæ S. vel SS. PP. prout jacent, sine crimine falsi adduco; quæ sine verecundia, sine personarum differentia perstringunt aures, sed corda fortius quatiunt; aut dum meis memetipsum verbis aggredior, nullus jure irascetur super Capitulo, quod quilibet Religiosus, juxta monitum *S. Bern.* secum-metipso quotidie celebrare teneretur. Ergo, ne charitas offendatur, charitas præoccupare conatur.

II. Metuendum onus Prælatorum grave sensit, qui bene sensit, *S. Bern.* serm. 3. de Adventu, dum inquit: *Longè graviore, & periculosiore debito tenentur adstricti, qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Quid ego infelix? quò me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentius*
custo.

custodire? Si stillantem in Cruce Domini Sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod & portare sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? & certe id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens (ipsa antique sapientia) sanguinem illum dedit. Sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multò plura, quàm vitreis imminere pericula videantur. Accedit sanè ad solitudinis cumulum, & pondus timoris, quòd cum & meam, & proximi conscientiam servare necessesse sit, neutra mihi satis est nota. Utraque abyssus est imperscrutabilis, utraque mihi nox est, & nihilominus exigitur à me utriusque custodia, & clamatur: Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Non est mihi dicere cum Cain: Numquid Custos fratris mei sum ego? sed est fateri humiliter cum Propheta: Quia nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. In eo tamen excusabilis ego videor, si, ut prædixi, debitam exhibeo custodiam pariter, & disciplinam. h. i. Utinam hæc dicta quisque animarum Rector cordi lumeret! quæ cor faciunt tremere, & somnum fugere ab oculis ejus; extinguunt ambitionem, impediunt recreationem. O potestas dura Prælatorum, cor mordens, crucians, & affligens! O honor amarus, gravis, & vix portabilis! De quibus idem S. Bern. ad suos serm. 12. cant. Fratres revereamur Episcopos (adde, & Prælatos) sed vereamur labores eorum. Si pensamus labores, non affectamus honores: nec observemus eos;

*eos, sed honoremus. h. i. Et ferm. de S. Nicolaos
Quis in Prælatūra sine pressura?*

CAPUT I.

De Potestate, & triplici Cura Prælatorum Regularium erga subditos Regulares.

Q. 1. Quotuplex sit potestas in Prælato Regulari.

R. 1. ex Suarez de Relig. Tom. 3. l. 2. c. 18. n. 6. & aliis DD. quòd sit duplex, una est Dominativa, seu oeconomica, vi cuius Prælati habent jus, acquisitum Religioni, & sibi, ad imperandum Religiosis, eorumque operibus utendum, prout conveniens judicaverint. Radix hujus juris inde oritur, quòd quis eò ipso, dum in aliqua Religione approbata solennem professionem emit (aut vota substantialia edit) privat se per obedientiæ votum dominio dicto in seipsum, & transfert illud in Religionem, id est, in Prælatos pro tempore existentes: unde oritur in eis potestas dominativa respectu singulorum Religiosorum ita se tradentium, quæ est distincta à potestate jurisdictionis, & ab ea separata de facto in Superioribus illis utriusque sexus, qui quia clerici non sunt, potestatis jurisdictionis incapaces sunt. Tales & olim fuerunt plurimi Monachi in communitate viventes, qui tamen non solum non Presbyteri, sed ne quidem Clerici fuerunt. Hanc & distinctionem facit, immo supponit S. Augustinus in Regula, dum Presbyterum

terum

terum distinguit à præposito, & huic minorem quam illi, potestatem adscribit, & in eo supponit. De hac potestate *dominativa* loquitur S. P. N. *Franciscus* in testamento dicens: *Volo firmiter obedire illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare: Et ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire vel facere ultra obedientiam, & voluntatem ipsius, quia Dominus meus est. h. i.*

Secunda est potestas jurisdictionis, per quam intelligitur potestas spiritualium clavium Ecclesie, derivata à Christo in Summum Pontificem, & ab eo in reliquos hac jurisdictione pollentes, mediatè vel immediatè communicata, seu conservata. Hæc est ad ligandum & solvendum vinculo spirituali, corpori Religionis aggregandum per professionem solennem; quæ hinc etiam quamvis fieret in manus Abbatis, non præsentem Prælatum Regularem, aut ejus delegatum, esset nulla; *Vi hujus* etiam, ut notat *Marchant*, intimius & altius competit jus Prælati tali pollentibus, præcipiendi suis in virtute S. obedientie, vel S. Spiritus, &c. In hac duplici potestate fundatur multiplex obligatio & cura Prælatorum erga subditos. De qua

Q. 2. Ad quotuplicem curam erga subditos regulares obligetur Prælati regularis.

R. Ex S. *Bonav.* l. de luminaribus Ecclesie, quod ad triplicem (*per se loquendo*) scil. 1. pro anima, 2. pro corpore, 3. pro fama suorum subditorum. *Prima cura & principalis obligatio est pro anima subditi.* De qua S. *Benedictus* in Regula c. 2. *meminisse debet semper Abbas, quod est: meminisse*

nisse

nisse debet, quod dicitur: & scire, cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Sciatque, quam difficilem & arduam rem suscepit, regere animas, & multorum servare moribus. Et subdit ibidem. Ante omnia ne dissimulans, aut parvipendens salutem animarum sibi commissarum, non plus generat sollicitudinem de rebus transitoriis, & terrenis atque caducis: sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est. Et ne causetur de minori fortè substantia, meminerit scriptum: primum querite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis. Et iterum, nihil deest timentibus eum. Sciatque, quia suscepit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua, Fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die iudicii ipsarum omnium animarum redditurus est Domino rationem, sine dubio, addita & sue anime. h. i. Quæ doctrina omnibus aliis Superioribus, seu animarum Rectoribus adaptari debet. Quam latius profequitur, & more suo, candidè & seridè hujus curæ obligationem iis inculcat S. Bonav. in Tr. de sex alis Seraphim.

Porrò ex hac cura multiplex alia cura enascitur. Teneatur enim vi hujus primò potiùs bonum & utile spiritale subditorum principaliter quærere, neglectò etiam, si aliter fieri non possit, proprio lucro minori temporali: Sciatque proinde (ait S. Bened. lc.) culpa pastoris incumbere, quidquid in ovibus Pater-familias utilitatis minus poterit invenire. h. i.

Secundò

Secundo tenetur eos in via perfectionis religiosæ per se suosque dirigere, instruere, provehere verbo pariter & exemplo. De qua cura S. Bened. lc. sic inquit: *Cum aliquis suscipit nomen Abbat̄is (vel, cujuslibet Superioris) duplici debet doctrina suis præesse discipulis: id est, omnia bona & sancta factis amplius quàm verbis ostendere: ut capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat; duris verò corde, & simplicioribus, factis suis divina præcepta demonstrat. Omnia verò, quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda; ne aliis predicans ipse reprobum inveniatur. h. i.*

Tertiò curare debet (pro hac animarum cura & cultura, & Dei gloria) ut officium divinum debito modo, ordine, loco, & tempore, exactè ac devotè persolvatur in choro. Hujus enim justa persolutio aratrum est Religiosorum; ut dicebat unus ex antiquis Monachis *in Vitis Patrum*. Et S. Bonav. in explic. primæ alæ Seraphim ait: *In omni Religione ubi devotionis fervor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere, & propinquare ruina. h. i.* Pro divini officii accuratiore persolutione, sanctè ordinatum est in statutis Cartusiensium, quòd nullus error in choro debeat permitti transire incorrectus & impunitus.

Quartò curare debet per se, suosque, & zelare disciplinam regularem in claustrò, refectorio, dormitorio, aliisque Religiosorum officinis, & cellis. Cujus rationem dat cit. S. Bonav. lc. *Quia disciplina exterioris desertio signum est*

est neglecta conscientia, & interioris levitatis. h. i.

Quintò debet suas oves custodire, quantum potest, ab occasione scandalorum, id est, ruinæ spiritualis aliunde, aut forinsecus incurrendæ. Nam, ut ait S. Gregor. in Pastoralibus, non potest esse excusatio culpa pastoris, si lupo ovem rapiat, & pastor nesciat.

Sextò curare debet, ut sui arceantur à nimia frequentia sæcularium (ut notat S. Bonav. in qq. super Regulam S. Francisci) eò quòd per frequentiam cum sæcularibus sæculares mores & rumores sensim animæ irrepant, qui triplex nocumentum animæ inferunt, dum scil. 1. animæ nitorem maculant, 2. oculum mentis obscurant, 3. pondus maturitatis religiosæ enervant. S. Bonav. cit.

Secunda cura Superioris debet esse pro corpore subditi alimentando, vestiendò, fovendo, curando, conservando, secundùm loca, & tempora, & frigidas regiones (ut dicit Regula nostra) aliasque circumstantias; prout singularum Religionum Regulæ, Constitutiones, ac consuetudines salutares præscripserint pariter ac præceperint. De his ex proposito in sequentibus.

Tertia cura est pro fama Religiosorum conservanda; at non nisi indirectè ad hanc obligatur Superior curandam, manu-tenendam vi officii sui (ut notat Lessius) in quantum nimirum Religioso post amissionem famæ impendet via ulterioris & majoris spiritualis ruinæ; dum scil. Religiosus videns se famæ jacturam incurrisse, fit efferatior, non curans modica, sensim &

spernens majora : cogitat enim , quid juvat jam bona vita , cùm fama sit neglecta ; & ita indomitò modò præceps & effrons ruit in omne malum , etiam sanctam obedientiam flocci-faciens , &c.

Q. 3. Quotuplex cura in subdito respondeat huic triplici curæ in Prælato.

R. Ex *S. Bern.* & *S. Bonav.* quòd triplex. Debet enim 1. subditus Superiori suo amorem ; quia Pater ejus est , proque eo angitur die ac nocte. 2. Debet reverentiam , amore & timore mixtam ; quia Dominus ejus est. 3. Debet obedientiam , quia Dei Vicarius est ; ut ait *D. Bern.* De his hic agere , non est mei propositi.

Q. 4. Quàm sollicitè dictam triplicem curam cordi debeat sumere quicumque Superior Regularis.

R. Quòd ita , ut præ omnibus aliis illa maxime curet , quæ suæ curæ magis commissa sunt. De quo *S. Bern.* serm. 49. cant. *Utinam in me Dominus JESUS tantillum ordinet charitatis, quod dedit , ut sic mihi cura sint universa , quæ sunt ipsius , ut tamen , quod mei potissimum propositi , seu officii esse constiterit , ante omnia curarem.* h. i. Et *S. Chrysost.* homil. 87. in Joan. alloquens nomine Christi Prælatum Ecclesiæ , inquit : *Opus suscepisti , id considera : perfice , labora , & te certaminibus expone : quid ad te (si aliter circa alios ordinem , aliis jubeam) tu officium tuum cura , & exequere.* h. i.

Hanc

Hanc curam quoque inculcat seriò conformiter Regulæ S. Bonav. inc. 4. Regulæ ad 4. dum inquit : *Hic autem nomine Custodum etiam Guardiani intelliguntur , qui habent immediatè custodire , & intendere pastorali cura. Istis ergo cura , & sollicitudo tantum imponitur , & hoc propter duo , ut nullus sine ipsis sit sollicitus ; & , quia dispensatio est necessaria secundum varios status , de qua Regula dicit , secundum loca , & tempora , & frigidas regiones. h. i.*

B. Pius V. (non in solo positivo *pius* , sed verè *piissimus* dicendus) ex S. Ordine Prædicatorum , zelò pro Ecclesia Dei , & singularum Religionum conservatione & augmentatione prorsus singularis , & in patientia alter *Job* appellandus , dicere solebat , *Pontificem decet moribus edificare , non lapide* , id est , Prælatus Ecclesiæ noverit , principalem sibi incumbere hanc curam , ut moribus propria vitæ ædificet mores animarum sibi commissarum , potiùs , quàm muros , quæ sunt habitacula corporum.

* * *

* *

CAPUT II.

*De ulteriori Cura Superioris Regularis circa
Subditos Regulares.*

VARIÆ virtutes requiruntur quidem in Superiore regulari (de quibus fusiùs *S. Gregor.* in Pastoralis, & *S. Bonav.* in Tr. de sex alis Seraphim, & alii DD.) at hic solum aliquæ tanguntur, quæ aut necessariae, aut utiles sunt immediatiùs pro vitæ communis regularitate commodiùs introducenda; quam proinde subditi in Superiore respicientes, faciliores sunt ad doctrinam de reformatione legitima acceptandam, & sese voluntati Superioris in his, quæ secundùm altiore Regulam sunt, conformandum. De quibus in sequentibus. Et quidem *S. Bern.* in sententiis tria specialiter requirit. *Tria Prælati necessaria sunt: 1. viva fidei & doctrinae sinceritas; ut inhabitent in eadem regione: studiosa bene operandi sedulitas; ut vigilias cum Pastoribus celebrent: de salute subditorum diligens curiositas; ut custodiant gregem suum. h. i.*

I. *Cura animarum* in Prælato Regulari supra explicata triplex est, 1. ne deficient, 2. ut proficiant, 3. ut defectuosi convalescant, & sanentur. De triplici hac loquitur *S. Bonav.* in tertia ala Seraph. *Cura continua urget Superiorem tam de spiritualis providentia discipline, quam de corporalis subsidii provisione. Unde & Apostoli non solum de spiritualibus, sed & de temporalibus fidelium*

delinunt

delius necessitatibus, maxime pauperum solliciti
erant. - Occupationes quoque varia, tam ex do-
mesticis curis, quam extraneis causis frequenter
emergunt, quibus cogitur aliquatenus implicari,
& quomodo se de eis expediat, anxari. h. i.
Huic curæ respondet etiam specialis merces; de
qua S. Bern. serm. 23. in cant. Accipiunt in pro-
missione, qui bene præsunt, consitui super omnia
bona Domini sui. At pauci profectò, qui utiliter,
pauciores qui & humiliter præsunt. Facile ta-
men utrumque adimplet, qui matrem virtutum
discretionem perfecte adeptus. h. i. Virtus siqui-
dem discretionis absque charitatis fervore jacet,
& fervor vehemens absque discretionis tempera-
mento precipitat. Ideoque laudabilis, cui nul-
lum deest, quatenus & fervor discretionem erigat,
& discretio fervorem regat. Ibidem.

II. Curam etiam hanc spiritalem requirit in
Abbate, & spiritualibus Senioribus S. Bene-
dictus c. 46. Ut sciant curare sua, & aliena
vulnera. h. i.

III. In quem finem sibi dictum arbitretur à
cælesti Samaritano Luc. 10. 35. Curam illius habe,
& quodcumque supererogaveris, ego, cum redis-
ro, reddam tibi. In quæ verba D. Bernardus
ad Papam Eugenium l. de consider. Noli diffi-
dere, Curam exigeris habere, non curationem.
q. d. Christus à te non exigit, ut sanes infir-
mum, sed curam ipsi impendas. Cui doctrinæ
se conformaverat Doctor Gentium, dum dice-
bat: Abundantiùs illis omnibus laboravi. 1. Cor.
15. 10. In quæ verba idem præcit. mellifluus Do-

Etior lc. inquit: *Non ait, plus omnibus profusus, aut, plus omnibus fructificavi, verbum insolens religiosissime vitans. Alias autem noverat homo, quem docuit Deus, quia unusquisque secundum suum laborem accipiet, non secundum proventum.* h. i.

IV. Hanc *Curam* in Superiore exigit cit. Apost. Rom. 12. 8. *Qui praest in solitudine.* Et 2. Cor. 11. 28. de se ipso dicit: *Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Dicitur autem *solicitus*, ex doctrina D. Th. 2. 2. q. 47. a. 9. in concl. *quasi solers citus, in quantum scilicet, aliquis ex quadam solertia animi velox est ad persequendum ea, quae sunt agenda.* h. i. Allegat ibidem Philosophum 8 Eth. sic loquentem: *Oportet operari quidem velociter consiliata, consilium autem tardè.* Id est, exequendum est promptè, quod consultatum est lentè, q. d. Cura magna fit illi, ut, quæ præmeditatè judicavit faciendâ, studeat strenuè executioni mandare.

V. Onus *Curae* hujus plurimum aggravatur, dum considerat, quod ipse sit *quasi signum ad sagittam, utpote contra quem alius obloquitur, alius murmurat, alius judicat, &c.* ut ait Umberto cit. à Picinello c. 11. disc. 84. Proinde curis supra curas ita nonnumquam fatigatur, ut perplexus fiat (ut advertit S. Bonav. lc.) nesciens, quid incipiat, an subditorum murmuri cedat, aut se opponat, &c. De hac cura S. Bern. serm. 42. cant. *Non sum Propheta, non sum Apostolus: & Propheta tamen & Apostoli (audeo dicere) vice fun-*

fungor: & quibus non aequor meritis, implicor
curis. h. i.

VI Hæc Cura seria fuit Apostolo, 2. Cor.
12. 15. dum agebat: *Ego autem libentissimè impen-
dam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.*
Hanc quoque paucis accuratè depingit Ven. Beda
serm. de Nativit. Christi: *Solus ille Conditorem
perfectè diligit, qui & proximis curam puri amo-
ris impendit.* h. i.

VII. Cura hæc fusiùs explicata legitur in Re-
gula S. Ferreoli c. 37. his verbis: *Abbatem cun-
ctis, quibus præest Monachis, strenuitas quidem,
sed mansuetudo, & potius vita commendet: ita ut
magis sanctum illum timeant, quàm severum: &
plus in illo metuant, quòd meritis est primus, quàm
quòd honore primarius.* Habeat enim in corre-
ctione modum, & in familiaritate temperamen-
tum: eritque in cunctis ita moribus dispensatus, ut
blandimento vocet, terrore castiget; faciens se ab
omnibus, eò quòd vitia oderit, plus amari. Tota
enim eius conversatio erit quasi positum fundamen-
tum, ut in eo superædificetur, quisquis imitatione
illius optat bonis Deo meritis proximare. Nullus
erit ab ipso potestate, sed ratione damnandus: nec
tamen quispiam illi ita familiaris, ut ceteris plus
presumat; neque ita offensus, ut ad veniam, ex-
pleta contritione non redeat. Convenerit namque
illi omnes timere, qui timetur ab omnibus, totoque
studio atque industria providere, ne aliquis ex
his, quos regendos propriâ curâ suscepit, adverso
quolibet casu discedat ex numero. Et ideo pluri-

mis medicamentis necesse est illum Monachorum subvenire languoribus, & aegritudinibus mentium remedium cura spiritalis inferre, &c. Manifestum ergo est, quisque praesse videris Monachis, magnum tibi per honorem onus impositum, ita ut, cum dignitate sis primus, desudes omnium pondere sarcinatus. Propter quod recti itineris curre semitam, qua ad caelum perducit; & ire ostende gregi inoffensum callem, & sanctitatis eum quoque passibus antecede: atque ita stude, ut non erret, quicumque te ducem gradibus imitationis insequitur; ut videaris Apostolica monita sententia complēsse, qua habet: Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. 1. Tim. 4. Et iterum: Sollicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. 2. Tim. 2. h. i. Quae S. Ferreolus dicit & exigit in Abbate, dicta arbitrare cuilibet Superiori Regulari, quoad curam circa subditos.

VIII. Quia cura Superioris circa subditos sit talis, ut sentiat in corde, exequatur opere, quod persuadere vult sermone; ut jubet Seneca. Nam nudus sermo non persuadet; ait S. Ambrosius. Non sermo, sed causa suadeat; ait S. Gregor. in moral. Causam hanc non obiter tractet; nam vitium uno tractu non evellitur; ait S. Bern. Nec bonus medicus curat in transitu; ait Seneca; saepe de Regula predicandum, de votorum observantia, de adimplendi necessitate, ait Dionys. Cartus. Saepe tinctura opus est, ut color panno adhereat; ait J. Nigronius.

IX. Prae-

IX. Prælati Curam suam multiplicem subinde interrumpat, & interfulciat oratione ferventi ad Deum, de quo S. Bonav. in Ala 6ta sic loquitur: *Quod si Prælati præpediuntur variis curarum distractionibus, speciali devotioni sapius intendere; saltem interdum, cum opportunè licet quasi furtim & raptim ad orationis studium se conferat, ne omnino refrigescat, ne in dissuetudinem orandi veniat, ne à Deo alienus efficiatur, ne gratia divina propitiationis ei quasi insensibiliter subtrahatur.* Vide plura ibi lc.

X. In omni cura sua studeat semper Deo placere. De quo S. Bonav. lc. in Ala 6ta. *In sit ei continuum studium Deo placendi in omni actione, vel locutione-- 2. Cor. 5. contendimus sive absentes, sive presentes placere illi. h. i.* Quamvis interim murmure non-nemo subditorum, non curet. De quo S. Bern. serm. 25. Cant. *Omnibus quidem optanda est ista perfectio; proprie autem optimorum est forma Prælatorum. Sciunt quippe boni fidelesque Præpositi languentium sibi creditam animarum curam non pompam. Cumque internum murmur cuiuspiam illarum querula vocis indicio deprehendant, etsi in ipsos usque ad convitia & contumelias prorumpentis, medicos se & non dominos agnoscentes, parant confestim adversus phrenesim anime non vindictam, sed medicinam. h. i.*



CAPUT III.

De onere, virtute, obligatione, & negligentia Superiorum Regularium.

NB. QUæ hic dicenda sunt, libentiùs ex script. S. & Doctoribus piis mihi, & alis prælego, quàm doceo. Sciendum autem ex D. Bonav. in Ala 4ta, quòd finis officii regiminis sit, commissos sibi ad vitam æternam dirigere, & ad virtutum merita fideliter promovere. h. i. Hunc finem quò Superior exactiùs assequitur, eò ampliùs suo officio satisfacit; quo minùs, minùs.

I. Dionys. Cartus. de reformat. claustral. a. 3. hoc onus ita perstringit. *Quantò alicui imminet majus periculum, majus damnum, graviorque damnatio de negligentia, & impia vita sua, tantò (nisi omnino amens & cæcus sit) mente sollicitior esse debet, ut diligenter & justè se habeat.* Porro quò Prelatus altioris est prælationis & dignitatis, & quò pluribus præest; quantò etiam districtiùs subetur, multipliciùsque tenetur ad vitam justam, diligentem ac timoratam, tantò enormiùs ac damnabiliùs peccat, si negligenter & iniquè se habeat. h. i. Insuper S. Bernardus curam animarum ita æstimavit, ut putarit sibi sanguinem Christi in ampullis vitreis esse creditum: quæ cura propterea dupliciter gravis est, tum propter fragilitatem vasorum, tum propter pretium contenti liquoris.

De hoc graviss. onere S. Bonav. in c. 6. Sapient. Judi-

Judicium durissimum in his qui presunt, fiet, durū quidem, quia malè intraverunt; durius, quia malè vixerunt; durissimum, quia malè rexerunt. Vel, durum, propter peccata subditorum; durius, propter peccata ministrorum; durissimum, propter multitudinem & enormitatem priorum peccatorum. Durius punientur Prælati quàm ceteri: Primò ratione commissi, secundùm illud Luc. 12. cui plus commodaverint, plus petent ab eo. Secundò, ratione peccati, quia, ceteris paribus, gravius est peccatum Prælati quàm subditi. Tertio ratione damni, quia scil. alios suo exemplo corrumpunt. Gregor. Cum Pastor per abrupta graditur, necesse est, ut in precipitium grex sequatur. Quarto, ratione scandali, scandalizastis plurimos in lege. Malach. 2. Quintò, ratione iudicii; quia scil. hic non iudicantur, hinc in futuro durius iudicabuntur. Sextò, ratione officii, quod indigni exercendo peccant. h. i.

II. Idem Dionys. Cartus. lc. præsentem materiam prosequitur lc. dicens: Sciens illuminatissimus, & discretissimus Pater Benedictus totam Congregationis salutem, & claustris statum laudabilem ex regimine dependere Abbatis (adde, cuiuscumque Superioris Regularis) deum vigilantissimè admonet, dicens: Abbas cogitet semper, quale onus suscepit, & cui redditurus est rationem villicationis suæ, sciatque oportere se prodesse Fratribus potius quàm præesse. Oportet ergo eum esse doctum in lege divina, ut sciat, unde proferat nova & vetera: castum, sobrium, humilem, misericordem, ut & ipse misericordiam consequatur. Oderit vi-

ia, diligat Fratres : In ipsa autem correptione prudenter se habeat, & ne quid nimis; ne, dum cupit eradere aruginem, vas frangatur : suamque propriam fragilitatem attendat, atque meminerit calamum quassatum non semper conterendū. In quibus non dicimus, ut vitia nūtriri permittat, sed cum discretionē & charitate amputet ea, prout viderit cuique expedire; & studeat plūs amari, quā timeri. Non sit turbulentus, aut anxius, vel obstinatus, aut excessivus, neque zelotypus, aut nimis suspiciosus; quia sic numquam quiesceret. In suis imperiis sit providus & consideratus: sitque fervens & discretus in omnibus. - - Quamō plūs diligitur, tantō libentiūs auditur. *Hugo super Regulam S. August.* Hic in Regula sua: Circa omnes semetipsum bonorum operum præbeat exemplum: corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes. *S. Pachomius in Regula sua ait: Nos ipsi, quæ aliis præcipimus, cum ingenti sollicitudine adimplemus. h. i.*

III. Obligationi suæ conetur per omnia ita satisfacere, ut possit in veritate cum Apostolo gloriari Act. 20. & dicere : Vos scitis, quomodo nihil subtraxerim utilium, quò minūs annuntiarem vobis, & docerem vos--- Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium: non enim subterfugi, quò minūs annuntiarem omne consilium Dei vobis-- omnia ostendi vobis, verbo scil. & exemplo &c. Et *S. Hilarius in Matthæum: Dominus hunc servum fidelem atque prudentem, præpositum familie significat, commoda atque utilitates commissi sibi populi curantem.*

Qui

Qui si dicto audiens, & preceptis obediens erit, id est, si doctrina opportunitate & veritate infirma confirmet, disrupta consolidet, depravata convertat, & verbum vita in aternitatis cibum alenda familia dispendat, atque hac agens, hisque immorans deprehendatur --- in Dei gloria collocabitur. Quod si contuens longam Dei patientiam, que in profectum humana salutis extenditur, adversum conservos insolescet, & saculi malis, vitis que se tradet, presentium tantum curam in cultu ventris exercens; desperata die Dominus adveniet, eumque à bonis, que sponderat, dividet, portionemque ejus cum hypocritis in pœna aternitate constituet: quia adventum desperaverit, quia mandatis non obtemperaverit, quia presentibus studuerit, quia vità gentium vixerit, quia desperatione iudicii commissam sibi familiam fame, siti, cade vexaverit. h. i.

IV. Virtutem doceat subditos verbô, & exemplô: de quo S. Bonav. in Ala quarta inquit: *Rektor animarum precipuè ad hoc studere debet, ut sibi commissos faciat Christi-formes, id est, ut formam vitæ ac doctrinæ Christi eis imprimat: ut non solum mente eum attendant, sed & moribus imitentur.* Ephes. 5. *Estote imitatores Dei, sicut Filii charissimi. Insuper se in exemplum illis proponere.* I. Cor. 4. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* q. d. *Si formam Christi desideratis ad imitandum agnoscere, in meis hanc moribus considerate.* Gal. 2. *Vivo jam non ego, vivit verò in me Christus.* h. i.

V. Studeat, quomodo nomine & omine se vicariam Christi gerat. De quo S. Bonav. lc. Vi-

CARIUS

carius Christi vicem Christi debet gerere, 1. In beneplaciti ejus promotione, 2. In potestatis ejus auctoritate, 3. In similitudinis ejus representatione, scil. ut ea, quæ vult, promoveat in subditis, & ejus auctoritate illa possit, quæ eis expediunt, & eum in se imitabilem illis moribus & vitâ demonstrat, h. i.

VI. Tria singulariter in illo reluceant; de quibus S. Bonav. lc. dicens: *Quamvis in omnibus virtutum exemplis debeat Rector animarum precedere subditos, specialiter tamen in his tribus, 1. In communis observantia conformitate, 2. In mansuetudinis humilitate, 3. In maturitatis honestate. Tit. 2. In omnibus te ipsum prabe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. h. i.*

CAPUT IV.

De Superioris Regularis humilitate, charitate, patientia, & fortitudine.

NB. Hæ quatuor virtutes, inter alias, amabilem & recommendabilem suis reddunt Superiorem subditis, ejusque doctrinam; ut facilius hanc ab illo acceptent, & in communi vivere non detrectent. De quibus jam ex parte actum est in præced. Cap.

Porro S. Bonav. necessarias Superiori virtutes tradit in compendio in c. 9. Lucae, dicens: *Pralatis ad plebem regendam sunt necessaria tria, scil. humilitas animi, equanimitas zeli, & perspicacitas*

tas iudicii. h. i. Auctoritatē hujus Seraphici Do-
ctoris sæpius hic cito, quia ille fuit expertissimus &
dexterrimus in animarum regimine, & maximæ
experientiæ, simul & sanctitatis Seraphicæ. Uti
& *S. Bernardi*; qui compendiatam virtutum se-
riem hanc Prælato scribit in declamat. *Eva pru-*
dentia, Ada temperantia, Cain iustitia, Petro de-
fuit fortitudo. Quam virtutis quadrifariæ perfe-
ctionem, & cathedram sanctitatis omnino exigis
ministerium hoc, de quo loquimur. h. i.

I. *Humilitatem* in tribus ostendat; quæ *S. Bo-*
nav. in Ala 4ta explicat, dicens: Primò *Anima-*
rum Rector sit humilis in moribus, ut mores ejus o-
stendant, eum non alta de se sentire, nec affectare
prælationem, sed timere, & coactum tenere, & ma-
gis desiderare subesse: & eos, quibus præest meliores
se judicare; & eorum potius se servum, quam Ma-
gistrum vel Dominum reputare. Luc. 22. Qui ma-
ior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est,
sicut ministrator. Ego autem in medio vestrum sum,
sicut qui ministrat &c. Secundò, *Sit etiam humi-*
lis affabilitate, ut subditi facilem accessum ad eum
habeant, & fiducialiter ei loqui, de quibus indi-
gent, audeant: & patienter eos audiat, & benigne eis
satisfaciat, & studiosè instruat, & alacriter exhor-
teretur &c. Tertiò *Sit etiã humilis in usu rerum tem-*
poralium, ut nihil habeat pomposum, vel diligit,
sed omnia, que habere videtur, paupertatem vo-
luntariam demonstrant, & humilitatem ostendant,
scil. vestes, libri, cella, lectulus, utensilia, mensa,
palea, &c. ut nihil in omnibus appareat, quod no-
tam jactantia, curiositatis habeat: nec talia fieri ab
aliis

aliis patiatur: similia enim similibus congaudent, alta sublimibus, humilia humilibus delectando. Non est autem humilis cordis indicium, curiosa querere, pretiosa affectare, excelsa ambire. Job. 41. 25. Omne sublime videt: ipse est rex super universos filios superbiæ. h. i. Monet tamen S. August. Superiores in Regula: Quando necessitas disciplina minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit; si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, ut ab eis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eos, quos plus iuste forte corripuistis, quanta benevolentia diligatis. h. i.

II. Charitas ostendat se fraterna compassione, consolatione, supportatione, quæ exhibenda est in firmis ac debilibus corpore, & mente; de quibus latius S. Bonav. in Ala 2. Infirmus, qui afflictus sibi met subvenire non valet, eo ipso amplius tribulatur, quia ab his, à quibus deberet, non consolatur, non à labore relevatur: non subvenitur indigenti: nec habet sibi compatientem: -- Bonus autem Prelatus agnoscit se Fratrum suorum patrem, non Dominum: & exhibet se eis medicum, non tyrannum: nec reputat eos ut jumenta sua, vel servos emptionis, sed ut filios hereditatis supernæ consortes: & facit eis, sicut vellet sibi fieri, si similiter indigeret. Sed fortes, & sani non sentiunt, quod sentit ager; ideo nesciunt eis compati, scient autem postea, cum dolebunt. Quod obijciant, quia sepe fingunt se debiliores quam sint: numquid propter hoc omnes sunt hypo-

hypo-

hypocrite iudicandi? --- Expediit ergo Prælatum quandoque experiri infirmitates ceterorum, ut discat compari, h. i. De hac charitate ait S. August. in Regula: Non carnalis, sed spiritualis inter nos debet esse dilectio -- ipse verò Præpositus non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente felicem. Honore coram omnibus Prælati sit vobis, coram Deo substratus sit pedibus vestris, h. i. Hac charitas docet Prælatum, quærere non, quæ sua sunt, sed quæ subditorum, juxta verbum S. Bernardi l. 3. de confid. Præs: numquid ut de subditis crescas? nequaquam, sed ut ipsi de te. Principem te constituerunt, sed sibi, non tibi: Alioquin quo pacto te reputas Superiorem his, à quibus beneficium mendices? audi Dominum, qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. h. i.

III. Patientia maximè necessaria videtur in tribus. I Propter multiplices labores, & curas, & occupationes diversimodè emergentes &c. Secundo est & patientia necessaria pro tardo profectu illorum, in quibus continuè fatigatur. Videt enim paucos eorum proficere: videt post, quia per multos conatus suos ea, quæ multo labore in modico iam emendari ceperant, ex facili iterum dilabuntur: & propter plures difficultates, & obstacula profectum spiritalem impediunt quasi in desperationem tendere fructum laboris sui. -- Hac & alia plura videns spiritualis Prælati, qui omnia in veritate diiudicat, tabescit, & uritur: & non valens corrigere pro desiderio, in virtute patientie mirabiliter exercetur. Hucusque S. Bonav. in 3tia Ala. Ter-

tiō, necessaria est ei patientia pro ingratitude illorum, pro quibus tanta sollicitudine laborat, scilicet quod vix umquam eis satisfacit, quin semper conquerantur, quod aliter posset eis & melius facere, & vellet; quod saepe perplexus est, an debeat eorum importunitati cedere, & acquiescere in omnibus, quae cupiunt, vel rigide tenere, quod credit esse magis expediens -- item quod invertunt ei plurima, quae facit, & interpretantur ad deterius &c. item, quod etiam in faciem quidam resistunt ei &c. hucusque cit. S. Bonav. De his supra c. 22. lib. I.

Pergit S. Bonav. lc. His & aliis adversis, quibus impetitur, triplicis patientia scutum studeat opponere. 1. ut modestè, maturè, & benignè ad singula respondeat, & impetum fervoris reprimat, ne in voce aut vultu, seu moribus impatientiam ostendat. Tunc enim magis proficit per patientiam, & tandem devincit, quos impetuose agendo amplius provocaret -- impatientia enim prelati confundit, quae promovere poterat bona. Secundò, studeat esse pacificus, ut nec vindicet se de illatis injuriis, nec in corde oderit illos, nec curam eorum segniùs agat; nec querat eos à se amovere. immo libentiùs teneat eos, ut per hoc & illos & alios adificet, benefaciendo ingratis. -- Cum enim proprium officium Pastoris sit docere virtutes; si vitiosos removet à se, quos docebit? si medicus fugit aegros, quos curabit? &c. Tertio sit patients, ut non minùs sit voluntarius & studiosus ad exequenda ea, quae officii sui sollicitudo requirit, propter tardium laboris, vel tarditatem profectus, vel importuni-

portunitates subditorum, vel alia gravamina: quia sic ad alta merita pervenitur. h. i.

IV. Magna Fortitudine, robore animi, ac longanimitate indiget Prælati pro abolendis abusibus, sufferendis difficultatibus, tollendis obstaculis, lucrandis subditorum resistentium animis, in hoc maximè opere sancto, scil. promotione, & introductione vitæ regulariter communis. Quid ergo faciendum? Respondet *Alphonsus à Jesu Maria* Generalis Præpositus Ord. Carmel. Discal. in Consiliario Spirituali Prælatorum disc. 5. consi. 6. his verbis; *Ne Prælatus animo cadat in bene cepto S. Opere, quod Deus sibi ininxit, prosequendo. Sciendum est ipsi, quod, quanto plus adhibiturus sit diligentia ad promovendum subditorum suorum bonum, tanto majorem demones navaturi sint operam ad bellum ipsi movendum &c.* Confirmat dicto S. Gregorii l. 31. moral. c. 17. prope finem, ubi inquit: *Quia enim videt sanctæ mentis studium contra se, & aliis prodesse, multiplicatâ hanc satagit tentatione confodere. h. i.* Conatur dæmon animum Superioris frangere, ut à ceptis desistat, aut ipsemet virtutem abjiciat, ne alios corrigere valeat; quod ipsum figuratum est in filiis Job, quibus ademit vitam in domo fratris senioris, & Superioris. Hoc ipsum advertit dictus S. Gregor. l. 2. moral. c. 9. dum inquit: *Dum in majoris fratris domo convivantur, pereunt; quia tunc contra nos hostis vehementius vires accipit, quando & ipsos, qui pro custodia disciplina prælati sunt, ventri servire cognoscit. h. i.*

V. *Pusillanimis* non fiat, non à ceptis decidat, animum non despondeat, quamvis exilem fructum faciat; nam Matth. 13. maxima pars seminis perit, quia cecidit vel inter spinas, vel in petra duritiem, vel viæ tritæ incultam ariditatem. Huic similitudini insistens S. Chrysof. ita erigit animum Prælati: *Quia contingere potest, ut petra dura, via regia, & transitus se conversura sint in optimam terram; spina verò, & cardui mutandi in melius, meliores reddituri sint fructus, quam terra alia, quæ semper fuere bona.* Sibi applicando hanc similitudinem pergit: *Tametsi certo sciam, quòd doceam sine fructu, non tamen propterea intermittam hoc facere; quia hoc modo coram Deo excusatus ero, quantumcumque nemo me audiat.* h. i. Magna consolatio pro Prælato, qui duris corde loquitur verbum salutis, verbum sanum, irreprehensibile!

CAPUT V.

De justitia zelo contra abusus, corruptelas, & delinquentes.

I. **Z**elus justitiæ est (ex S. Bonav. in prima Ala) quò armatus Rector animarum non potest aliquid injustum sine cordis murmure in se, & in aliis sustinere. *Tantum enim quisque bonus estimandus est, quantò plus, & purius odit malum; quantum enim res diligitur, tantum de ejus destructione doletur.* h. i.

II. Zelus ut sit virtus, debet regi per discretionem,

tionem, quæ est auriga virtutum (ut ait S. Bern. super illa verba Cant. 2. *Ordinavit in me charitatem*) tolle hanc, & virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque nature. h. i. Addit: *Importabilis absque scientia zelus est. Ubi ergo vehemens emulatio, ibi maxime discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absque scientia minus efficax minusque utilis invenitur; plerumque autem & perniciosus valde sentitur. Quò igitur zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas, eò vigilantiori opus scientia est, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem.* h. i. Idem Mellifluus Doctor l. confid. ad Eugenium, illum Prælatum Ecclesiæ laudat, qui *causam Dei facit suam, immo causam Dei ferventiùs cordi sumit, & curat quàm propriam.* Ibidem S. Doctor suum eximium zelum ostendit, dum inquit: *Non timeo inglorius fieri, ne irruatur in gloriam Dei.* h. i. Sit tamen hic zelus Prælatis *cum dilectione hominum, & odio vitiorum*: ut ait S. August. in Regula. Et S. Bern. in declam. *Zelum in Prælatis exigit ferventem. Sunt infirmi & tepidi amatores justitiæ, quibus aut vigor aut fervor deest, aut fortassis uterque, cum uterque sit sumopere necessarius inter prospera quippe & adversa versanti. Etenim vigoris esse dignoscitur, nequaquam cedere tribulationi, sed pro justitiâ viriliter persecutionem sustinere: sic fervori videtur attribuendum nullis capi voluptatibus, nullis illecebris enervari. Quæ quidem tum omni populo, tum*

maximè & specialiter Ducibus populi sunt necessaria. h. i.

Qualiter autem, quando, in quo, contra quos hunc justitiæ zelum exercere debeat Superior, seu animarum Rector, exactè docet *D. Bonav.* qui annis 18. fuit Generalis Minister in Ordine Minorū, & Prælaturæ hujus officio functus cum magno merito, laude, & præmio, fructuq; ingenti non solum suæ Religionis, sed etiam totius Ecclesiæ, quam sanctissimis exemplis, & seraphicis documentis illustravit. Hic monet in *Ima Ala lib. de sex alis Seraphim*, quòd Superior in sex zelum hunc ostendere debeat, dum inquit.

IV. *Verus igitur justitiæ zelator præcavet primo, ne malum aliquo modo faciat, vel doceat. 2do, ne licentiet, vel concedat quacumque importunitate, seu circumventionem molitus. 3do, ne faveat, vel diligat fieri, etiam si cò irrequisitò fiat, vel absente. 4to, ne dissimulet, & taceat quasi nesciens, cum ad eum pertineat arguere, & ostendere, quantum malum sit, & deterrere, ne ulterius atdeant similia attentare. 5to, ne inultum esse patiantur; quia aliquod bonum parit peccati castigatio, scil. quòd ipse, qui fecit, prohibetur ultra peccare. 6to, item ipse Prælati vicarius supremi judicis liberat animam suam à peccato negligentia, officium suum sic implendo: quod quia Heli sacerdos non fecit, mortis sententiam cum filiis peccantibus excepit, Reg. 4. h. i. Pergit Seraphicus Doctor,*

V. *In hoc enim differunt laudabiles Religiones, & iam collapsæ; non, quòd nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quòd nullus impunè peccare suatur.*

finatur: & peccandi aditus studiosè præcludantur, & incorrigibiles ac alios inficientes eliminentur: & boni foveantur, & diligantur, ut perseverantes & in melius semper proficiant. Nam in conventu Angelorum ante confirmationem, & in Ordine Apostolorum sub magisterio Christi si reperta sit pravitas; quis Ordo bonorum in terra audeat sibi arrogare hanc prerogativam, quòd peccatum in eo non sit? quia etsi plurimi per Dei gratiam immunes ibi fuerint, sed non omnes. Bonis enim, quamdiu sunt hic in statu merendi, expedit aliquos malos secum habere, qui eis sint majoris occasio meriti: quibus compatiantur in malis suis: contra quos zelus eorum inardescat: quos corrigere laborant: quibus similes fieri pertimescant: qui eis sint tentationis materia: à quibus etiam persecutiones sustineant: & ex quorum consideratione confusi humiliantur, quia tales non sunt: admoneantur gratiarum actionis ei, qui custodit eos, ne tales efficiantur. Si autem deessent bonis prædictarum virtutum occasiones, merita ipsorum tantò fierent etiam minora. h. i.

VI. Nec tamen diligendi sunt mali, seu fovendi, sed tolerandi --- interim etiam dum tolerantur, puniendi sunt stimulis admonitionum, correptionum, confusionum, castigationum: ungenti etiam fomentis exhortationum, consolationum, orationum, & promissionum, si fortè convalescant de infirmitate, & fortes fiant. Præcludenda est eis via peccandi, & tentationis aditus obstruendi; quòd etiam bonis expedit, ne opportunitas mali faciat eos deteriores. h. i. Continuat hanc materiam Seraphicus Doctor.

VII. Prelatus enim Vicarius Dei, cui data est

potestas à Domino super familiam suam, & cui debent subditi ea de causa vice Domini obedire, si non corrigit delinquentes, si permittit sub se vitia crescere, & consuetudines malas oriri, & jam exortas roborari & dilatari: si videt regulares observantias dilabi, & transgressiones multiplicari, & pro posse non obviat tam presentibus malis, quam imminuentibus, triplicem Deo reddet rationem, primò, pro sua negligentia, quando non fecit, ad quod officio tenebatur, Sap. 6. Cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiae, neque secundum voluntatem eius ambulastis, horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudiciù durissimum his qui presunt, fiet &c. Secundò, quòd omnia peccata subditorum, quae poterat & debuerat correxisse, & praeavisse, imputantur ei. Tertiò, pro abusione honoris, & potestatis sibi collata, quam ad propriam gloriam & commodum rectoris, & non, ad quod data est ei. h. i. Pergit & concludit S. Doctor.

VIII. NB. Ostendat ergo bonus Zelator, quantum diligat Deum in eo, quòd beneplacitum eius in se & in aliis promoveat: nec ab hoc zelo mollescat per desidiam: nec labore lassetur: nec consiliis flectatur: nec astutiis circumveniat: nec amicitia, nec blandimentis deliniatur: nec minis terreat: nec per diuturnae pravae consuetudinis praescriptionem desperet quin suum officium exequatur. NB. Hucusque eruditissimè & imperterritè Seraphicus Doct. Quibus verbis conatur Superiores seu Animarum Rectores animare, erigere, confirmare in eo, quod practicavit, & expertus fuit.

IX. Ze-

IX. Zelus Prælati boni (juxta monitum S. Chryf.) debet habere suo imperio ita subjectam passionem iræ, (quæ ex se mala non est, sed instrumentum virtutis) sicut opilio suum canem: quem non sinit solutum præcurrere, quò is suo canino appetitu ducitur; alioquin continuo turbaret oves, in pascendoque terreret & impederet: nec tamen etiam sinit post se segniter dormiturire: sed ad latus alligatum habet, ut, dum indiget, eum ad suam obedientiam promptum habeat, ad oves reducendum, absterrendum, &c. & hoc officio peractò, eum denuò alligat. Ita & Prælati non sinat iram præcurrere, aut sibi dominari; sic enim dilaceraret oves: nec tamen etiam animo nimis remisso per iræ segnitiam fit causa malitiæ in subditis incrementis: sic dominetur iræ, & imperet tamquam bestiæ sibi à Deo attributæ, quâ utatur ad continendum Dei animalia in sancto timore, & boni operatione. Hoc agens, non peccat. Per hanc etiam tenetur punire non solum malitiam in abstracto, sed malos in concreto; nam malitia in abstracto nulla datur. Attamen monitum S. Gregorii Papæ homil. 34. in Evang. conetur exactè servare, qui inquit: *Vera justitia compassionem habet, falsa justitia dedignationem: quamvis & justi soleant rectè peccatoribus dedignari. Sed aliud est, quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo disciplina. Dedignantur etenim, sed non dedignantes: desperant, sed non desperantes: persecutionem commovent, sed amantes: quia etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedi-*

nem per charitatem servant. Preponunt sibi in animo ipsos plerumque quos corrigunt: meliores existimant eos quoque quos judicant. Quod videlicet agentes, & per disciplinam subditos, & per humilitatem custodiunt semetipsos. h. i.

CAPUT VI.

De circumspectione, discretionem, & rigore Superioris Regularis erga delinquentes.

I. DE circumspectione illius agit Seraphicus Doctor in quinta ala Ecclesiastici Seraph, his verbis. Cum Prelatus curam animarum suscipit: ut in earum salvatione Deo gratissimum preestet obsequium (nullum enim Deo gratius sacrificium, quam zelus animarum.) inter alia virtutum insignia semper debet rationis iudicio quatuor ad officium suum spectantia in pectore versare. Primum est, quomodo in statu debito commissos sibi gubernet. Secundum, quomodo lapsos & devios corrigat & emendet. Tertium, exteriora negotia, quae requiruntur ab eo, congrue disponat. Quartum, quomodo se in his disponat & gerat. Ad statum debitum tenendum convenit, ut Rector animarum subditorum mores, & conscientias, & vires perspicue cognoscat, ut, secundum quod unicuique expedit, onus observantiae regularis imponat; non enim omnes omnia possunt equaliter. Recogitetque, quod praecipua causa monastica institutionis fuit, ut esset schola palaestralis exercitii per-

perfectionis. h. i. Pergit Doctor Seraphicus de discretionem agere.

II. In hoc indiget Prælati non modica discretionem, ut sciat inter rigorem & remissionem medium tenere. Si enim nimis fuerit rigidus, & ipse minus erit dilectus fratribus; & illi minus erunt voluntarii ad alia, quæ utiliora, & necessariora forent. Rursum si fuerit plus, quam convenit, remissus in talibus, citò major dissolutio subsequetur. Qui spernit modica, paulatim decidet. Circa lapsorum correptionem discretio Prælati similiter vigere debet. -- Et cum aliter facere non potest circa delinquentes occultos, portet, dissimulet, patientiam suam exerceat, & quod arguendo non valet, orando laboret obtinere. --- Ad ista tamen non debet impetu ferri, sed maturo consilio prudentum, & spiritum Dei & donum consilii habentium. h. i. Pergit D. Bonav.

III. Discretio Prælati debet providè prospicere, quid ex quolibet eventu possit consequi, & quæ negotia admittere, & quantum expedit ea exequi, circumspicere rimari. Super omnia verò debet Rector semetipsum circumspicere, ne aliis providens, seipsum negligat, ne alios salvans seipsum in periculum demergat. -- Una circumspicere sui versatur circa conscientie serenitatem, ut illa semper securasit & munda: securasit, ut nihil velit, agat, jubeat, vel permittat illicitum & indecens, professionique sue contrarium, in quo peccatum seu scandalum deprehendatur. Munda; ut de bonis, quæ facit vel promovet, gloriam ab hominibus non capret, nec sibi exinde immoderatè placeat: solites

solius Dei beneplacitum in omnibus querens, ut, qua pro eo facit, id est, vice Dei, etiam facias pure propter eum, & ipsius amorem. Scrutetur ergo conscientiam suam sollicitè diiudicans, quid egerit, quid omiserit de agendis, & quo fine bona fecerit: & de malis doleat, & confiteatur, & corrigat, & caveat: de bonis verò non in se, sed in Domino gloriatur. Qui pulverem ab aliis detergit, vix potest transire, nisi & ipse pulvere respergatur; quem etiam in se detergere necesse habet. De bonis verò, quae facit, sic latetur, ut inde non extollatur; estimans, quòd non propter se, sed propter alios, quibus praest, Deus dederit ei benefacere, vel dicere, vel sentire. h. i. Subnectit plura de circumspectione.

IV. Alia circumspectio sui versatur circa exteriores mores, & verba, quibus oportet eum aliis magis, quàm sibi met deservire. Qui enim pluribus cogitur vivere ad exemplum, & satisfacere singulis, & omnibus placere, multa indiget discretionè, ut medium valeat tenere; ne sit nimis tristis vel hilaris, nimis severus vel levis, nimis socialis vel alienus, nimis tacitus vel verbosus, nimis durè loquens vel blande, nimis rigidus vel remissus, nimis saepe cum hospitibus vel rarò, nimis lautè reficiens vel tenuiter, nimis facta fratrum observans vel dissimulans, nimis fovens aliquos vel alios parvipendens, &c. Cum ergo non possit semper teneri, quod de omnibus placeat; minùs tamen deviat, si ad benignitatis partem plus declinat, per quam redditur subditis magis amabilis, ob quam ei libentiùs obtemperant, & audaciùs ad
eum

eum recurrunt in quibus indigent, & alacrius eum imitantur. Ipsa enim potestatis auctoritas facit eum satis timendum subditis: & si hinc coniungitur austeritatis severitas, pavida fit mentibus onerosa. -- In omni tamen dubio semper magis inclinet se ad illud, quod secundum veritatis iudicium virtuti charitatis & humilitatis, & professe puritati magis consonat, & evangelica perfectioni. Hucusque Doctor Seraphicus.

V. Rigor sit in ratione fundatus, ut Pralatus non sit nimis remissus, nec negligens. De quo Dionys. Cartus. a. 5. de reform. Claustral. Eccli. 10. 2. Secundum iudicem populi sic & ministri eius: & qualis est Rector civitatis, tales & habitantes in ea. Ex his verbis SS. Patres concludunt, quod praecipua causa ruinae subditorum est negligentia & perversitas Prelatorum, sub quorum praesidentia vel virtuosa subditorum conversatio cadit & perit, vel eorum, qui dudum iam lapsi sunt, deformatio ac ruina durat ac perseverat. h. i. Idem art. 6. Quanto Religiosi & Monachi altioris & perfectioris sunt ordinis, tanto gravioribus multiplicioribusque quotidie involvuntur peccatis, si ad observantiam regularem non fuerint diligentes. Merito ergo fatetur S. August. sicut non vidi meliores his, qui in claustris profecerunt, ita non vidi deteriores his, qui in claustris virtuosè se habere non studuerunt. Immo, ut S. Hieron. in sua Regula, sine spiritali charitate claustra sunt tartara, & habitantes in eis sunt demones: cum charitate vero sunt Paradisus in terris, & habitatores sunt Angeli. h. i. Hac de causa perneceffe est, ut ri-

gor ibi vigeat, ne vigor exulet. Commune adagium: *Ubi rigor, ibi vigor.* Et de sacro Cartusianorum Ordine hoc carmen:

Sol, sil, cap, vis, rig, Cartusia permanet in vig.

Explica. Quod Cartusia à septingentis jam annis permanerit in primo vigore, (excipe nimiam austeritatem abstinentiarum aliquarum, & jejuniorum) id habet à quinque principis ibi exactè servatis, scil. à *Solitudine, Silentio, Capitulatione* frequenti, *Visitatione* crebra & solerti, *Rigore* in servandis statutis, sine facili dispensatione, & corrigendis erroribus sine coniventia.

VI. *Rigor* in correptione & correctione, hic à *S. Benedicto* præscribitur c. 2. *Regulæ.* *In doctrina sua namque Abbas Apostolicam debet illam semper formam servare, in qua dicit: Argue, obsecra, increpa: id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta.* *Dirum Magistrum Patris ostendat affectum.* Id est, *indisciplinatos & inquietos debet durius arguere: obedientes autem, & mitis, & patientes, ut in melius proficiant, obsecrare: negligentes autem & contemnentis ut increpet & corripiat, adm. nemus.* Neque dissimulet peccata delinquentium; sed mox ut ceperint oriri, radicitus ea, ut prævalet, amputet, memor periculi *Heli Sacerdotis de Silo.* h. i.

VII. Idem *S. Benedictus* circa delinquentes hæc statuit observanda c. 26. *Regulæ.* *Omni sollicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes Fratres; quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. --- Magnopere enim debet sollicitudine*

nem gerere Abbas, & omni sagacitate & industria curare, ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat. Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem, etc. h. i. Et c. 28. Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correctio, id est, ut verberum vindicta in eum procedat. -- Abbas faciat, quod sapiens medicus: si exhibuit fomenta, si unguenta exhortationum, si medicamina divinarum Scripturarum, si ad ultimum unctionem excommunicationis, vel plagas virgarum: & jam si viderit nihil suam prevalere industriam, adhibeat etiam, quod majus est, suam & omnium fratrum pro eo orationem, ut Dominus qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem. h. i.

VIII. In fine Constitut. Urbanarum. Ministris Provincialibus -- Guardianis, aliisque Superioribus presentibus & futuris, ut omnia & singula superius Decreta, Statuta, seu quomodolibet ordinata observent, & pro viribus ab aliis exactissimè servari faciant, ad eorumque observantiam, pœnis (cùm fuerit opus) severius agant, duosque dure compellant, precipimus pariter & mandamus. h. i.

IX. Modus in subditorum correctione servandus ab omnibus Prælatibus Regularibus, præscribitur à S. Concil. Trid. sess. 13. de reformat. c. 1. his verbis. Illud primum eos admonendos censemus, ne se Pastores, non percussores esse meminerint; atque ita præesse sibi subditis oportet, ut non in eis domi-

nentur, sed illos tamquam filios & fratres diligant, elaborentque, ut hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda præceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, & patientiâ; cum sepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quàm comminatio, plus charitas quàm potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris, ac necessaria conservetur, & qui correcti fuerint, emendentur, si respiscere noluerint, ceteri salubri in eos animadversionis exemplo à vitiis deterreantur. h. i.

X. Severitas sit mixta pietate in Prælatiis. De qua S. Bonav. in Hexameron, serm. 23. Levi signat Prælatos, qui debent habere Spiritum severitatis, & pietatis, ut Moyses, qui cum esset mitissimus, confregit tabulas. E contra Heli qui quia fuit remissus, ipse mortuus est & filii ejus. Unde plus nocet Prælati misericors, & abiciens rigorem discipline, quàm Prælati rigidus sine misericordia. h. i. Et S. Bern. l. 2. de confid. Non eris innocens, si aut punias eum, cui fortè parcendum esset, aut parcas ei, qui fuerat puniendus. h. i.



CAPUT VII.

De consilio adhibendo à Superioribus Regularibus.

I. **P**relatus quidem (prout ait D. Bonav. in
sta Ala) gerit vicem capitis in corpore fra-
ternitatis, ut, cum alia membra dedita sunt actio-
nibus sibi competentibus, caput omnibus presi-
dendo provideat, quasi omnium sensuum capax,
& omnia regens, & sensum & motum omnibus
transmittens per iussiones vel concessiones sanctæ obe-
dientie, quasi quorundam compaginatione nervo-
rum. Unde & caput singulari actione non occupa-
tur, ut vacet omnium membrorum provisioni. O-
mnibus enim proficit, pro omnibus audit, odorat,
gustat, & loquitur. Attamen in hoc est aliqua dif-
ferentia, quòd caput morale subinde in operatio-
nibus suis dependeat à membrorum consultatio-
ne. De qua dependentia & egentia ita loquitur
D. Bonav. lc.

II. Ipsa discretio, quæ cetera omnia dijudicat,
circumspiciat seipsam, ne ei contingat ut oculo
corporis, qui, cum alia videat, non videt seipsum,
ut non plus sapiat, quam oportet sapere, ne sibi plus
credat quam expedit: ne sit sapiens in oculis suis:
Quia teste B. Gregorio, sicut subditorum tentatio
est reprehendere in Prelatis, quòd in multis non re-
tè agant; ita Prelatorum tentatio est, quòd se ce-
teris sapientiores aestiment. --- Inter omnes autem
tentationes videtur ista periculosior cuique Chri-
stiano, scil. proprio sensui nimis inniti. Cum enim

Z

nemo

nemo reperiat^r ita perspicacis intelligentie, quin possit in aliquibus falli. Qui hoc totum & solum reputat justum, quod ipse senserit, astuto adversario ad varias seductiones sub specie boni liberum aditum pandit. h. i. Pergit Doctor Seraph.

III. Unde cantum est semper Re^{cto}ri, consilia libenter audire, & humiliter quarere. Et in hoc triplex humilitas consistit (adde, & securitas). Primo, si alii sentiunt, quod & ipse, securior est, quod non decipiatur. Secundo, quidquid fecerit cum prudentum consilio, si aliquid inde evenit contrarii, minus ei poterit imputari, quam si de suo id tantum sensu fecisset. Tertiò, quod saepe in merito humilitatis talis, Deus dat ei agnoscere per se vel alium, quod ante non intellexit. Hinc Moyses, cui Deus facie ad faciem loquebatur, consilium Jero socii sui gratum habuit, & servavit. Exodi 18. Hinc Apostolus Paulus Spiritu S. repletus, Evangelium, quod per revelationem Jesu Christi didicerat, ipsius instinctu, ascenderat Jerosolymam, Gal. 2. cum Petro, & Joanne, & Jacobo coapostolis suis contulit, ut esset securior in predicando, cum ab eis non discordaret; & exemplum per hoc daret fidelibus Prælati, consilium requirendi. Omnia cum consilio fac, & post factum non pœnitebis. h. i. Quales autem sint illi Prælati, qui spernunt consilia, idem Seraphicus Doctor explicans dicit.

IV. Priuò, aliqui cum ad officium regimini^{is} assurgunt, ita se continuo repletos spiritu scientie reputant, ut omnia antecessorum suorum facta stulta judicent & perversa. Secundo, alii è contra cum ab eodem absolventur officio, quacumque successores

eorum faciunt, simili modo condemnant; non attendentes, quod, sicut ipsi aliorum facta deprimunt, ita eorum facta alii possunt despicere. *Isai. 33. 1.* Væ qui spernis! nonne & ipse sperneris? Nullorum enim facta tam studiosè solent ab aliis observando notari, sicut illorum, qui aliorum facta severè dijudicant, si fortè, in quo ipsi alios arguunt, reprehensibiles deprehendantur. *h. i.* De qualitate consilii dandi docet *S. Bern. serm. 3. de adventu.* Nullum ego consilium melius arbitror, quàm si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat, & quæ non oporteat fieri, provocans eum ad meliora, & consulens ei non verbo, neque lingua, sed opere & veritate. An verò utilius aut efficacius auxilium aliquod est, quàm ut ores devotè pro eo, ut non dissimules redarguere culpas ejus: ut non modò nullum ei offendiculum ponas, sed & sollicitus sis, quantum pravales, tamquam Angelus pacis de Regno Dei tollere scandala, & occasiones scandalorum penitus dimovere? Si talem te fratri auxiliarium & consiliarium exhibes, reddis ei, quod debes, nec habet, unde causetur. *h. i.* *S. Franciscus Borgia* dicere solebat, Superiorem debere priùs consilio, deinde armis attentare id, quod intendit, ut subditi exequantur.

Q. 1. Anne ab omnibus consilium petendum.

R. 1. Ex *S. Bonav. lc.* Sunt duo genera hominum, quorum consilia prudens Lector non facile debet suscipere, scil. adulatores & detractores. Primi istorum seducunt, cùm magis de se, quàm expedit, præsumant. *Isai. 3. 12.* Qui beatum te dicunt,

ipſe decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſi-
pant, ne de te vera ſentias ex humilitatis propria
cognitione. Secundi inducunt eum, ut pejus, quam
debet, de aliis ſuſpicando ſentiat, & ſepe inno-
centes condemnet, & priuſquam veritatem rei ple-
nè cognoſcat. h. i.

R. 2. Conſilium non oportet quærere ab illis,
qui nequeunt dare, idque contingit ex triplici
cauſa. Primò, quia non oportet credere, vel quia
ſe ipſos laudant, vel quia te in faciem laudant,
vel quia abſentem vituperant. Hæc tria hominum
genera ſemper ſunt ſuſpecta de mendacio. Se-
cundò, quia ſunt partiales, & affectu privato ſi-
niſtrè de cauſa iudicabunt. Tertio, quia amore
privato inſcati, & excæcati perdiderunt lumen
ſanæ diſcretionis. Hinc malè feciſſet *M. Magda-
lena*, ſi conſuluiſſet Judam, an Caput & Pedes
Jeſu deberet pretioſo balfamo aut unguento un-
gere: ille enim dediſſet conſilium ſuæ avaritiæ
proportionatum, quale poſtea eructavit ſine
conſultatione prævia rogantis aut rogati, dum
dixit: *Ad quid perditio iſta, &c.* Item avarum
malè conſuluiſſet Crates Thebanus, an diuitias
in mare projicere deberet. *Similiter*, electurus
voluntariam paupertatem, & vitæ communita-
tem regularem, inconfideratè & illaudabiliter
faceret, conſulendo eos, qui oderunt utramque
& impugnant: fortè tamen tunc bene conſule-
rent, ſi eorum ſpei inde aliquid emolumentum
accreſceret. vg. Frater ſæcularis alteri fratri ſua-
det ingreſſum Religionis pauperis, ut hereditas pa-

patrimonialis maneat remanenti in saeculo; at hoc consilium ex avaritia prodit.

R. 3. A quo sit consilium petendum, disce ex sequenti apologo. Accipiter, consilii capiendi causâ, convenit vulpem, proponens, conclusum esse inter quadrupedes, & alites, quod gallinæ & pulli earum non deberent amplius inquietari, aut devorari. Quid das consilii? anne hæc placet tibi conclusio? respondit ille: conclusionem quoad pullos admitto, quoad gallinas autem, & gallos gallinaceos reprobō; quos odi, quia cantu suo molestant, & inquietant me, ne possim dormire. Vulpes hæc malus erat consiliarius, utpote amore proprio, in re proprium interesse concernente, excæcatus. *Applica.* NB. Generaliter frustra ab illis petis consilium (ceteris paribus) à quibus jam habes responsum.

Q. 2. A quibus ergo consilium petendum.

R. Cum S. Bonav. sc. *Cum tribus de causis scilicet requiratur consilium, scilicet. Primò, propter informationem, ut discatur, de quo dubitatur. Secundò propter auctoritatem, ut plus habeat vigoris, quod per tales consultum fuerit. Tertiò propter pacem, ne habeant aliquam occasionem murmurandi. Propter primam causam consulendi sunt prudentiores, propter secundam nominatiores, propter tertiam omnes, ad quos negotium pertinere videtur. h. i.*

Q. 3. Quid de adhibendis ad consilium Fratribus statuerit S. Benedictus in Regula c. 3.

R. Quòd sequentia. *Quoties aliqua precipua*

Z 3

agen-

agenda sunt in Monasterio, convocet Abbas omnem Congregationem, & dicat ipse, unde agitur. Et audiens consilium fratrum, tractet apud se: & quod utilius judicaverit, faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus; quia sepe juniori Dominus revelat, quod melius est. Sic autem debent Fratres consilium cum omni humilitatis subjectione, ut non presumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit; sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, ut, quod salubrius judicaverit esse, ei cuncti obediant. Sed, sicut discipulis convenit obedire Magistro, ita & ipsum providè & justè concedet cuncta disponere.--- Ipse tamen Abbas cum timore Dei, & observatione Regulae omnia faciat; sciens, se procul dubio, de omnibus iudiciis suis, equissimo iudici Deo rationem redditurum. Si qua vero minora agenda sunt in Monasterii utilitatibus, seniorum tantum utatur consilio, sicut scriptum est: omnia fac cum consilio, & post factum non poenitebis. h. i.

S. Bonav. in Alphab. Religios. lit. O. inquit: Omnia bona ad laudem Dei referas: & sine consilio, & deliberatione nihil facias. h. i. Idem scribit c. 12. de S. P. N. Francisco: Cum miranda nosset per spiritum Prophetie, hanc per seipsum quaestionem (quæ ipsius personam concernebat) dissolvere non valebat ad liquidum.--- Non erubescerat à minoribus parva quaerere verus Minor, qui magna didicerat à Magistro supremo. Studio namque precipuo solitus erat exquirere, quali via, qualique modo Deo posset secundum ipsius beneplacitum perfectius deservire. h. i.

Q. 4. Quinam sint primi Consilarii, quos Superior Regularis præ omnibus primò consulere debet in attentando arduo negotio, pro Dei gloria, communi bono, & maximè pro animarum sibi concreditarum perpetua salute, & Ordinis sui honore, & decore.

R. 1. Sicut immediata, proxima, (ideoque prima primitate majoris propinquitatis) Regula actuum humanorum est *propria recta hominis conscientia*; ita & hæc eadem est primò ad consilium adhibenda (ab ipsa enim & applicatio proximè fieri debet ad opus). Proinde prius cum ipsa, seu per ipsam consiliiari oportet, an liceat, an expediat, an debeat, an possit, an media presentent, an obstacula possint percurrere, an spes boni finis affulgeat, an manu tenentia sufficiens à Superioribus majoribus speranda: insuper, an habiturus sit in spe, & re validos fidelesque & non segnes coadjutores: præterea, an & sæculares, maximè Principes & sæculares hoc decens, consultum, immo necessarium judicent: An & conscientiosiores suæ Religionis Patres & Fratres ex sincero affectu hoc frequentib' & ferventibus votis, desiderativisque suspiriis diu exoptaverint, & adhuc exoptent &c. O! quàm lætus, quàm intrepidus, quàm constans in executione sic præviè consultorum est Superior Regularis! Verè lætus & fortis, ad instar *Estheris c. 14. 18.* quæ à tribunali internæ suæ conscientiæ, pariter & confidentiæ, constituta in quadam quasi perplexitate, appellabat ad Tribunal seu Judicium divinæ omniscientiæ, dicens: *Tu nosti, quòd numquam*

latata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in presentem diem, nisi in te, Domine Deus Abraham. Verè sicut *Conscientia recta* primus est & immediatus Superioris consultor, ita & consolator; qui proinde, ceteris humanis consultoribus deficientibus, stat firmus, firmiùsque consolatur & solidiùs, quàm quicumque externi humani. Bene lætus erit Superior ille, tandemque videbit Solem splendens (quamvis jam persentiscens illum sub nubibus quasi occulratum) qui à conscientia propria ad divinam scit appellare seu confugere conscientiam. (*Scientia tua ex me. Ps. 138.* Et cum D. Petro, Superiore Primo, ac Prælato universalis Ecclesiæ, post Christum: *Domine, tu scis, quia amo te.* Joan. 21. 15. quod loquat de te, pro te, propter te, à te, ex te, ad te; & nihil intendam nisi te: sic enim iussus sum à te: tu stas pro me: propter te vovi, juravi, & statui; hinc Domine sta pro te, causam tuam defende, rege me, doce me, confirma me; res tua, nō mea agitur: causa tua, non mea ventilatur: de gloria tua, non mea agitur: honor alioquin tuus, non meus, periclitatur, prostituitur, proscinditur, aut sicut ipse conquereris, (quod non speramus) *nomen meum tota die blasphematur.* Isai. 52. 5.

R. 2. Alius consiliarius (mutus quidem voce, sed non virtute obligandi) est *propria Religiosorum Regula.* De qua *Sanctissimus Monachorum legifer Benedictus* c. 3. *Regulæ: in omnibus igitur omnes magistras sequantur Regulam: neque ab ea temerè devietur à quoquam.* h. i. Super quæ verba *Regulæ S. Bernardus, S. Benedicti Filius sanctus,* &

*in spiritu genuinus: Si omnes, inquit, Magistram Regulam; ergo nullus propriam voluntatem, libertatem &c. Itaque si Regula jubeat, si votum emissum, aut insuper præstitum juramentum urgeat, si Constitutiones Summorum Pontificum, SS. Canonum, aut particularium Religionum præcipiant, mandent, Superioresque Regulares sub obtestatione divini judicii adjurent; tunc securum habet consiliarium, quem non tantum sequi tenetur, sed securè jubetur; alioquin Regula condemnabit illum, Regulæ compilerator stabit contra illum, & Regulæ zelatores jam sancti in cælis protestabuntur contra illum. *Ostendat ergo bonus zelator* (ait *D. Bonav.* in prima Ala) *quantum diligit Deum &c.* Si autem ob inde fiat murmur Græcorum, & incircumcisorum aliorum cordium, dura cervice Spiritui S. resistentium, lapidesque in Ministrum Christi, & Regulæ amatorem projicientium, non curet plus, quàm clapperationem hirundinum, quibus *S. P. N. Franciscus*, dum primò foras prodiret prædicaturus, imperavit silentium. (*S. Bonav.* cap. 12. vitæ.) Et ut animosus permaneat, consolationem accipiat à *D. Bonav.* in Ala 5ta in medio, ubi inquit: *ubi non potest hominibus satisfieri, nisi cum offensa Dei; ibi servetur ad Deum obedientia, & ad homines patientia. Act. 5. 29. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. h. i.**

R. 3. Ut taceam plures cælites consiliarios, v.g. speciales in tali causa olim in vita mortali zelatores, & nunc in immortalis Advocatos, Ordinis quoque sui Fundatorem, aliosque peculiare Pa-

tronos; *Beatissima V. Maria* est inter consiliarios prima habenda; utpote quæ de se dicit (in Respons. 3. Festi immacul. Concept.) *Meum est consilium, & æquitas, mea est prudentia: mea est fortitudo: per me Reges regnant, per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Quam, eâ de causa, quidam Superior ex Ordine *S. P. N. Francisci* solebat, non sine ingenti consolatione ac fructu (prout habeo ex ore ejus) in recitatione *Marianæ Coronæ*, aut *Rosarii* ita piè salutare & invocare: *Ave Maria, Consultrix mea, Assistrix mea, Mater de bono cōsilio, Sedes sapientia &c.* Sanè illa prævalet consilio dando, eò quia genuit eum, qui dicitur *Magni Consilii Angelus* (ut canit Ecclesia in 3. Missa Nativit. Christi.) Quem proinde ut summum & authenticum Consiliarium, fallaciæ activæ & passivæ incapacem, in omni re, actione, opere, loco, immo & intentione submississimè reverebitur, ut auxiliatorem mereatur.

R. 4. Hic ipse Magni Consilii Angelus, cum turbam multam pascere disponderet, quasi consilium de iisdem pascendis ab Apostolis experit, dicens: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Joan. 6. 5. Hoc autem fecit, teste *S. Hieron.* ut Magistris exemplum tribueret cum Minoribus & Discipulis consilia communicandi. Et hoc congruenter & fructuosè; nam *valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur*; ait *D. Gregor.* in moral. In consiliis ergo deligendis utere consilio & exemplo *Regis Alfonsi*, qui interrogatus, quibus consiliis magis uteretur, & delectaretur? respondit, *à quibus sine metu, & sine gratia,*

ria, quæ nosse cuperet, fideliter audiret. h. i. Cui concordat, quod refert *Drexelius*: Aulicus quidam interrogatus ab Em. D. Cardinal. quodam, cujus consilarii consilium esset fidelissimum; respondit, *contemneatis aurum, & spem mercedis. h. i.*

CAPUT VIII.

De aliis virtutibus requisitis in Superiore, pro bono communi sibi commissa communitatis.

NB. *S*uperiores in nostro Ordine vocantur *Ministri, & Custodes*, in quibus etiam *Guardiani* intelliguntur, ut ait *S. Bonav.* in expos. *Regl. c. 4.* *Ministri, quorum est ministrare, & non ministrari, exemplo Christi.* Et *Custodes, quorum est, curam gerere infirmorum: nam Samaritanus Custos interpretatur, qui curam habuit vulnerati &c. Luc. 10.* Nomina autem *Custodum, & Ministrorum*, etsi diversis appropriantur, tamen circa easdem personas dicunt, modum officii in hoc Ordine *Prelatorum.* *Ministerium* dicit *humilitatem*, *custodia* autem *vigilantiam* insinuat *pastoralem*, ne propter *humilitatem* sic dimittatur *auctoritas*, & *evigilantiam* ne periclitetur *Ordinis disciplina.* h. i.

I. NB. *Q*uoniam omnes eis necessarias virtutes superioribus Capitibus comprehendere nequivi, hinc resumo illarum explicationem ac propositionem, attamen non ex proprio, sed altiori aliorum iudicio. Has brevi compendio proponit
P. Eligius

P. Eligius Bassens Capuc. vir scientiâ & religione plurimum venerandus, v. Prælatas, §. 17. ubi inquit:

II. Virtutes requisita in Prælatas sunt. Primò, tenentur bonum commune Religionis semper affectare, propriò commodò postpositò; pro regulari observantia vitam, si opus fuerit, in periculo constituentes, & justitiam semper præ oculis habentes: ipsa enim est pax Religionis, tutamentum observantia regularis, immunitas communitatis, nutrimentum spiritale Religiosorum, gaudium, silentium, & securitas in pulchritudine pacis.

III. Secundò, In Prælatas maximè est necessaria Fortitudinis virtus: Justitia enim sine fortitudine terga nonnumquam vertit, atque eos deserit, quos tueri deberet; sicut fortitudo sine justitia iniquitatis fomes est. Ad quam pertinet, virtute & valore irrumperè iniquitates, non extimescendo faciem potentum, innocentes contra malignantes validè protegere: cum aliquibus reis aliquando dissimulare. Tunc enim, si ab ea separetur prudentia, que est omnium virtutum moralium forma, fortitudo rem & nomen fortitudinis perdet, & ad vitium temeritatis accedit. Prudenter enim quandoque dissimulantur peccata, ne inde graviora incommoda, gravioraque mala suscitentur.

IV. Tertiò, Inesse debet Prælatas pietas & misericordia, non nimia tamen, sicut nec nimia justitia, & severitas; sed miscenda est lenitas misericordia cum severitate justitia, & rigor justitia cum oleo misericordia, faciendo quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulceren-

ceren-

cerentur subditi, nec nimia benignitate solvantur. Quamvis in plurimum debeant Pralati esse procliviores in pietatem, & benignitatem, maxime in parvis & vulgaribus culpis. Non enim conducit, quaslibet & omnes simpliciter punire. h. i. Pergit cit. Author.

V. Porro Pralatorum munus est, suam Congregationem à vitiis & peccatis expurgare, ut boni quietè ad opus suum exire, & ad operationem suam usque ad vesperam mortis, & beatam illam spem consequi valeant; & ne morbida & scabiosa oves inficiant sanas. Prius tamen correptio fraterna commendata in Trid sess. 13. de reform. c. 1. precedere debet, à qua dolor & verecundia peccatorum aliquando originatur, quæ à sacris Canonibus pro non parva pœna reputatur. Ita prudenter & piè docet Rodriquestom. 3. qq. Regul. q. 34 a. 5. 6 & 7. h. i.

VI. Insuper S. Congregatio Em. DD. Cardinal. in Decretis editis Romæ 1695. 18. Julii, autoritate SS. D. N. Innocentii XII. nunc felicissimè regnantis, (de quibus mentio facta supra l. i.) plura requirit in Provincialibus, ceterisque, ad quos spectat, quosque alloquitur. Quorum Decretorum authenticum exemplar Romæ impressum, eodemque anno sibi transmissum mihi legendum & exscribendum exhibuit Reverendissimus D. Alexander ab Henn, imperialis & exempti Monasterii S. Maximini, Ordinis S. Benedicti Abbas dignissimus, cujus memoria, quæ est in benedictione, prostat in plurimis & maximis suæ Religionis & ferventis zeli monumentis; in cu-
jus

jus etiam Monasterio viget vita exactè communis). Inter alia etiam hæc mandantur præfatis Superioribus.

VII. Eadem S. Congregatio, Sanctitatis sua auctoritate committit, & in virtute S. obedientia præcipit præfatis Superioribus, ad quos pertinet, ut in supra-dictis Conventibus non collocent nisi Religiosos graves, devotos, exemplares, Regularis observantia, & puritatis Regula studiosos, orationi præferim ac mortificationi (sine quibus non potest religiosa vita consistere) addictos; quique consentiant exactè servare vitam communem: atque inde amoveant eos omnes, qui tam sanctæ ordinationi contradicere, seu verbis & factis quoquo modo sese opponere audeant.

Ut autem tam laudabilis vitæ institutum, & regulari professioni maximè proprium Religiosi alacrius arripiant, omnisque excusatio infirmioribus præcludatur, eadem S. Congregatio similiter præcipit Superioribus antedictis, ut memoratis Conventibus (imploratâ etiam, si opus fuerit, Apostolica Auctoritate) præfici omnino curent viros, non solum disciplina zelo, sed etiam charitate, & morum suavitate præditos, patientes, fraternitatis amatores, misericordes, quorum regimini libenter alii se submittant.

Studeant verò præcipuè, ut ea omnia, quæ tam ad victum & vestitum, quàm ad reliquas vitæ necessitates pertinent, singulis Religiosis promptè subministrantur, ac præsertim agritudinis tempore nihil alicui desit, quod ad sanitatem recuperandâ pertineat. Ac propterea Religiosos in iisdem Conventibus

morari non patientur ultra eum numerum, qui ex illorū redditibus, & consuetis communibus, vel etiā singulorū eleemosynis, aliisve quibuscumq; obventionibus pariter in commune conferendis valeat commodè sustentari. Eos verò, qui semel prefata observantia, & exactæ vitæ communi libenter, ut verè Religiosos viros decet, sese subjecerint, ut in ea laudabiliter perseverent, nullatenus à memoratis Conventibus nolentes transferant, nisi fortè ad alia Monasteria, ubi similis observantia vigeat, iisque pariter de omnibus ad vitam necessariis possit commodè provideri.

Sciant verò Superiores prædicti, eos, qui prefata omnia sedulo, ut par est, adimplere curaverint, specialem à Sanctitate Sua, & Sede Apostolica inituros gratiam & protectionem, atque, in iis præcipuè quæ ad antedictam observantiam stabilien-
dam pertinent, favorem omnem & auxilium expeturos: qui verò è contra negligentes, aut (quod absit) contumaces fuerint reperti, gravibus pœnis pro modo culpe, & etiam privationis officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea, aut alia in posterum obtinenda puniendos fore. Prefata autem observantia nihilominus stabilienda per alios Superiores, vel per Commissarios Apostolicos, ubi opus fuerit, etiam extra Religionem assumendos à S. Sede efficaciter providendum; omnemque interim, ubi eadem observantia non vigeat, recipiendi Novitios licentiam denegandam. Hucusque tenor Decret. S. Congreg. pro Conv. intra Fines Italiæ &c. VIII. Singularem charitatem in Superioribus requisitam à S. Congreg. Emm. DD. Cardinaliū,
nervosè

nevosè admodum inculcat *S. Bern.* serm. 76. cant. dum inquit: *Non otiosè toties repetitum est Joan. 20. Petre amas me, in commissione ovium. Et ego quidem id significatum perinde puto, ac si illi dixisset Iesus: nisi testimonium tibi perhibente conscientia, quòd me ames, & valde, perfectèque ames, hoc est, plùs quàm tua, plùs quàm tuos, plùs quàm & te, ut hujus mee petitionis numerus impleatur, nequaquam suscipias curam hanc, nec te intromittas de ovibus meis, pro quibus sanguis utique meus effusus est. Terribilis sermo, & qui possit etiam impavida quorumvis tyrannorum corda concutere. Propterea attendite vobis, quicumque opus ministerii hujus sortiti estis: attendite, inquam, vobis, & pretioso deposito, quod vobis concreditum est. Civitas est, vigilate ad custodiam, consordiamque: Sponsa est. studete ornatui: oves sunt, intendite pastui. hæc ille.*

S. Chrysof. insuper ait, charitatem Prælati debere instar Saulis (qui ab humero & sursum fuit altior universo populo.) excedere præstantiâ charitatem aliorum. Licet non in omnibus inveniantur, imò fortè in paucis, prout deplorat *S. Gregor.* in c. 10. l. 1. Reg. *Plerumque enim culmen Prælationis accipiunt, qui in charitate Dei & proximi perfecti non sunt. h. i.*

Hanc charitatem si perfectam habuerit, perfectè officium suum exequetur; *Superiorum autem officium est, subditos ritè continere in officiis suis; ut ait Rodericius. Attamen dicta charitas non sit blanda, nec effeminata, sed matura, quæ rigorem lenitate temperet: nam, ut S. Proffer ait:*
leniter

leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti : asperitate autem nimia increpationis offensus , nec increpationem recipit , nec salutem. Et S. Gregor. l. 19. moral. Regat disciplina vigor mansuetudinem , & mansuetudo ornet vigorem ; & sic alterum commendetur ex altero , ut nec vigor sit rigidus , nec mansuetudo dissoluta. h. i.

CAPUT IX.

*De studio Orationis , amando à Superiore Regula-
ri , pro spiritali profectu suorum subdito-
rum.*

I. NB. *Q*uoniam (ut ait Dionys. Cartus. a. 21. de reformat. Claustral.) sine auxilio gratiae Dei nil meritorie agere possumus , immo nec cogitare ; quò major res est reformatio communitatis , eò amplius dependet à Deo , & tantò plus necessarium est speciale subsidium directionis , & cooperationis Spiritus S. Hinc maximè intendat orationi diu , noctuque , ut mediante illâ ut fistulâ seu canali , desuper exspectet caelestis gratiae irrigationem pro suo , suorumque subditorum cordibus , & potissimum per orationis devotam & humilem instantiam confidat in divino praesidio , consilio , & auxilio : *Nam sine me nihil potestis facere. Joan. 15. 5. Quid juvat plantare , rigare , clamare , sudare , nisi incrementum det Deus ? 1. Cor. 3. Frustra vox mea ad aures vestras loquitur , nisi cor intus à Deo tangatur , ait S. Gregor. Proinde , ad imitationem S. P. N. Francisci (c. 10. vitæ) Sit &*

contemplanti oratio solatium ; sit & operanti praesidium. Hic Seraphicus noster Fundator orationis gratiam viro religioso (maximè Superiori) desiderandam super omnia firmiter asserebat. h. i.

II. Studium autem orationis, seu devotionis ad Deum ideo permaximè necessarium est Superiori Regulari, quia (ut inquit Doctor Seraphicus in Ala 6ta) Per ipsum zelus justitiae accenditur, pietas compassionis infunditur, patientia roboratur, exemplum bonum conditur, discretio clarificatur: ipsaque devotio ad Deum est unctio Spiritus, docens de omnibus quae expediunt salutem. h. i. Pergit lc.

III. Est enim Praelatus mediator inter Deum & subditos, ut, sicut negotium Dei gerit apud illos, docendo, corrigendo, sursum agendo; ita etiam negotia eorum studeat apud Deum fideliter promoveri, placando, gratiam impetrando, & conservando à malo. Deuter. 5. Ego sequester & medius fui inter Deum & vos. - Quod si Praelatus praepeditur variis curarum distractionibus, speciali devotioni sapius intendere; saltem interdum opportunè videl. quasi furtim & raptim ad orationis studium se conferet, ne omnino refrigescat, ne in dissuetudinè orandi veniat, ne Deo alienus efficiatur, ne gratia divina propitiationis ei quasi insensibiliter subtrahatur. Unde Moyses cum per populi negotia exterius vocaretur, crebrò in tabernaculū foederis ad Dominū recurrat, familiare ipsius colloquiū ibi expetens, quò intrinsicè in spiritu reficeretur. Dominus quoque diebus praedicans turbis, noctibus in orationibus solūm pernoctavit. h. i. Pergit ulterius.

IV. Et licet parva detur mora Praelato orandi; tamen,

tamen, quia pro aliis debet ex officio orare, datur ei quandoque propter alios copiosior orandi gratia; ut, quibus prodest agendo, possit etiam orando prodesse. Tantum non negligat querere, nec abiciat, cum offertur, ne ex merito ingratitude ab eo gratia elongetur. Assidua devotio semper ei debet adesse, sicut & quibuslibet proficere volentibus in religionis virtute---uti & continuum studium Deo placendi in omni actione vel locutione, ut semper quasi in ejus presentia caveat, unde ei displiceat, & doleat si forte fecerit, & studeat, in quo & qualiter ei possit magis placere. 2. Cor. 5. Contendimus sive absentes, sive presentes placere illi. h. i. Insuper requirit Doctor Seraphicus; ut

V. Omnia agenda oratione saltem mentali praeveniat: ad omnes eventus oratione se praeveniat: omnia beneficia gratiarum actione prosequatur, ac laude divina. Agenda petat à Domino sibi salubriter inspirari, eventum dirigi ad salutis profectum, beneficia augeri & conservari. Sicut enim nauta praevidens tempestatem festinat sapiens ingredi portum securum; ita Religiosus (maximè Superior) ad orationis portum continue confugiat, ubi omnes periculorum collisiones evadat: & in omnibus agendis semper plus orationi fidat, quam propriae industriae vel labori. 2. Paral. 20. 12. Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut ad te oculos nostros dirigamus, videl. in oratione. Subdit S. Doctor: Licet autem omnes qui praesunt animabus, has virtutes non possint omnes aequaliter habere; tamen omnino necessarium est eis aliquatenus non carere, tam pro fructu aedificationis

illorum, quibus presunt, quam propria salutis profectu. h. 1. Tandem concludit.

VI. Quilibet etiam Religiosus, qui seipsum habet regere, & de sui ipsius regimine rationem Deo est redditurus in extremo examine, his pennis & alis, quantum sibi indiget, debet adornari, & in superna sublevari, ut sit 1. fervens in iustitia, 2. compatiens proximis propter Deum, 3. patiens in adversis, 4. bono exemplo alios edificans, 5. circumspectus in omnibus, & 6. super omnia Deo per orationis studium familiariter adherens; qui eum in omnibus protegat, dirigat, & promoveat, & tandem ad caelestia evolare faciat. Amen. Hucusque Seraphicus Doctor.

VII. Aliorum quoque orationibus non intermittat inceptum negotium communis salutis, Deique causam recommendare: precatores imploret Ecclesiae filios, ait *S. Ambrosius*: Impossibile autem est, multorum preces non exaudiri; ut ait *S. Hieron.* Ad exemplum itaque *S. P. N. Francisci* (c. 12. vitae) aliorum pro se preces exposcat, de quo *S. Bonav. lc.* *Fidelis revera famulus & minister Christi Franciscus, ut cuncta fideliter & perfecte perageret, illis potissime virtutum exercitiis intendebat, quo, sacro dictante Spiritu, Deo suo magis placere cognoverat. Qua de re contigit illum in magnam dubitationis cujusdam agoniam incidere: quam multis diebus ab oratione rediens terminandam fratribus sibi familiaribus proponebat. Quid, inquit, Fratres consulitis? quid laudatis? --- Misit quoque ad Fr. Silvestrum, qui tunc in monte supra Assisium jugiter orationi vacabat, ut divinum super*

per

per dubitatione huiusmodi responsum perquireret.--
Hoc ipsum demandavit Sacra Virgini Clara, ut per
aliquam puriorem & simpliciorem NB. de virgi-
nibus, sub ipsius disciplina degentibus, & ipsa cum
Sororibus aliis orans, super hoc exquireret Domini
voluntatem. h. i.

VIII. Hoc orationis studium pro salute o-
vium sibi concreditarum & exercuit, & docuit
D. Bern. epist. 201. ad Balduinum Abbatem Rea-
tini Monasterii. In his duobus mandatis, verbi
scil. atque exempli, summam tui officii ad consci-
entia securitatem pendere intellige. Tutamen si sa-
pis, junge & tertium, studium videl. orationis, ad
complementum utique trina illius repetitionis
in Evangelio de pascendis ovibus, (Joan. 21. Petre
amas me? pascas oves meas) in hoc noveris illius tri-
nitatis Sacramentum in nullo frustratum à te, si
pascas verbo, si pascas exemplo, pascas & sanctarum
fructu orationum: manent itaque tria hæc, ver-
bum, exemplum, oratio: major autem his est ora-
tio. Nam etsi vocis virtus sit opus: & operi
tamen, & voci gratiam, efficaciam-
que promeretur oratio.

h. i.

**

CAPUT X.

De eadem Orationis frequentatione pro salute subditorum.

I. *S. Papa Gregorius* jubet Prælato Regulari, ut imitetur exemplum *S. Job*, qui, cum esset vir simplex, rectus, timens Deum, ac recedens à malo; in hoc primò animi sui rectitudinem, Deique timorem sincerum legitur ostendisse, quòd pro filiis & filiabus convivantibus ipse pientissimè paterno amore sollicitus oraverit manens sobrius, holocaustumque consurgens diluculò obtulerit, ut expiaret peccata prolis inconsideratæ. Jubet quoque *S. P. N. Franciscus*, ut Ministri diluculò offerant *S. Missæ* Sacrificium pro Fratribus & subditis suis, ut postea sint expeditiores pro supportando onere sui ministerii, & audiendis causis Fratrum &c.

II. Oportet autem eum orare priùs pro suis, deinde pro suorum delictis & necessitatibus, juxta monitum Apostoli *Hebr. 7 27*. Et in hoc sequetur exemplum Christi Domini, qui *Joan. 17. 1*. priùs oravit pro se, deinde pro discipulis, dicens: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius clarificet te. & v. 11. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut es nos.* Qua in oratione (ut *Angelicus Doctor* advertit) Deus-Orator & Magister summus aliud non spectabat, quàm ut Capitibus atque Prælati exactiorem curam imprimeret, se sibi;

sibi que commissos per orationem commendandi Altissimo. Nulla enim, ait, necessitas inerat sibi orandi, qui simul cum Patre exaudit: instruxit autem nos in hoc & verbo, & facto. h. i. Immo in oratione Christi pro sibi servientibus aliquid amplius advertit S. Bonav. serm. 2. de Epiph. scilicet quando oravit pro se, oravit sub conditione: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo &c. sed orans pro nobis, dicit absolute: volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, Joan. 17. hoc argumentum est magni amoris. h. i.

III. Jurat D. Paulus Magister gentium, Romanis scribens, se inter alias suæ cutæ commissas functiones, maximè orationem pro suis adhibuisse. Testis enim mihi est Deus, inquit, cui servio in spiritu meo, in Evangelio Filii ejus, quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Rom. 1. 9.

IV. Cit. Alfonsus à Jesu Maria in suo Spirituali Consiliario Prælatorum disc. 1. consil. 2. orationem mutuam à Prælati & subditis exposcit, non sine pondere causæ, dum inquit: Ut autem Prælati, qui sui, & suorum progressus non incuriosus, sed studiosus vult esse, majoresque suis rogatibus vires adjungere, debet non rarò à suis subditis suffragia precum expetere, ut hac fideli & mutua, qua unus pro altero Deum exorat, servata responsione, porrigat Præsul subditis manum, ut eos à periculis eximat, operamque suam sufficiat, quâ ad san-

Etimoniam provehantur. Eius verò parentes imperio, orationibus suis obtinere conentur Praelato ad grave sustinendum, ne succumbat, gubernii pondus. De hac mutua opis inter Superiorem & subditos collatione facit mentionem D. Gregorius lib. 1. regist. epist. 24. ad finem. Dum enim nos vobis per orationis opem conjungimur, quasi ambulantes per lubricum vicissim nobis manum tenemus; fitque ex magna provisione charitatis, ut eò singulorum robustius pes figatur, quo in alterum alter innititur. *h. i.* Idem lib. 31. moral. cap. 7. in fine; quisquis pro alio intercedere nititur, sibi potius ex ipsa charitate suffragatur. *h. i.* per hoc insinuat, quòd, qui ex officio vel promisso orat pro alio, ob præstitam charitatem mereatur, ut oratio facta pro se nervosior, & impetratu fructuosior evadat apud Deum Altissimum.

V. Idem cir. Author in verba Domini Dei Exodi 32. 10. *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos*, ait, Moysen per suam vehementem & instantem orationem pro peccatrice gente, quasi retinuisse & impedivisse manum Dei ultricem. Et super illa verba Num. 16. 21. *Locutusque Dominus ad Moysen & Aaron ait: Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam*, notat, Deum quasi detineri à duobus his justis precatoribus, ne vindictam sumere inimpeditè valeat. Et S. Hieron. in cap. 13. Ezech. *Cùm dicitur, dimitte me, ostenditur, quòd tenendi habeat potestatem.* Apud eundem Prophetam lc. Deus exprobrat

exprobrat seignibus Prælatiſ, dicens; *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael.*

Ex hucusque dictis omnibus hanc concluſionem vel principium pro ſe reſervabit Superior Regularis, quòd, ſi quippiam fructificare intendat Religioni, & animarum ſaluti, plus confidere debeat in oratione confidentiali ad Deum, quàm in privato ingenio, vel viribus ſuis. Interim quò magis replebitur virtutibus, eò majorem confidentiam habebit ad Deum, & animoſior erit ad cauſam Dei propugnandum: ad quod Deus illi vires addet.

VI. *Harum virtutum compendium ſuggeſſit B. V. M. S. Birgitta revelat. 76. describens virtutes alicujus Regis ſeu Ducis, dicens: Ille quippe eſt Rex (tu intellige, Superior quilibet Regularis) qui in moribus ſuis eſt ſicut Job, in humilitate ſicut David, in zelo legis ut Phinees, ut Moyses in manſuetudine & longanimitate. Ille quoque eſt Dux, qui Regis exercitum regit, & informat ad prælia, qui fiduciam habet in Deo, & timorem ut Joſue; qui utilitatem Domini ſui plus querit, quàm propriam, ut Joab; qui zelum legis & commodum proximorum diligit, ut Judas Macchabeus. Talis Dux ſimilis eſt unicorni, qui acutum habet cornu in fronte, & ſub cornu lapidem pretioſum. Quid autem eſt cornu Ducis, niſi cor virile, quò pugnandum eſt fortiter? Lapis verò ſub cornu Ducis eſt charitas divina, quæ jugiter in corde manens, reddit eum ad omnia agilem, & invictum. h. i.*

Aa s

VII. S. Bo.

VII. S. Bonav. sollicitè admonet Prælatos Regulares, ut, si aliquem fructum in se & subditis suis facere desiderent, sint singulariter amici orationis, & maximè internæ devotionis (quod idipsum in iisdem requisivit, & quàm inaximè desideravit S. P. N. Franciscus. Audi Seraphici Doctoris verba cor penetrantia, in ala prima c. 3. *Cavenda est perturbatio studii devotionis, ex qua fulcitur omnis vera Religio, & omne virtutis exercitium impinguatur. Arida est omnis Religio, quæ non oleo isto saginatur. Instabilis est bonorum operum structura, quæ devota orationis frequentia non compaginatur, sicut paries lapidum sine cæmentõ. In omni Religione ubi devotionis fervor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere, & propinquare ruina. h. i.*

VIII. Idem S. Bonav. in vita S. P. N. Francisci c. 8. §. 2. scribit: quòd *anxio spiritu misericordem Patrem precaretur pro filiis, instar piæ matris, parturientis, & sollicitè curantis, ut pareretur Christus in ipsis. Interim efficacem oratorem te puta, si tibi ipsi, quod oportet, persuaseris. Seneca in proverb.*



CAPUT XI.

De sollicitè evitandis & curandis omnibus, qua Religiosa paupertati quomodolibet obesse, & contrariari possunt.

I. Quoniam Religiosi omnes se profitentur præ Christianis omnibus, sinceriores & veriores Christi imitatores (juxta quod agebat S. Bonav. supra citatus, *Officium Redtoris animarum esse, facere omnes sibi subditos Christi-formes, quantum potuerit.*) Hinc, quoniam amor paupertatis singulariter in Christo eluxit, (prout paucis ait S. Bonav. serm. 2. Epiphan. *Vide, & quare diligenter, ubi natus est, ut ames paupertatem: ibi enim in diversorio Dominus pauper fuit, omnino pauper in omnibus, ut patet in Evangelio.*) ad hujus exactam observantiam se, suosque Religiosos inducet, utpote ad quam voto se voluntariè obligarunt. Præ quo facient sequentia motiva ab *Alfonso Rodericio* p. 3. Tr. 3. exercitiorum spiritualium adnotata.

II. Ad voluntariæ paupertatis ingentem commendationem facit, quòd Salvator noster ab ea primam auspicatus fuerit lectionem de cathedra præsepit, postmodum quoque ab eadem sermonem in monte de beatitudinibus. Hanc eandem ut profundius mentibus nostris imprimeret, magisque nobis commendaret, è cathedra crucis prælegit, utpote in qua mortuus est totus nudus, & in tanta paupertate, ut etiam, quò jam defun-

defun-

defunctus sepeliri posset, sintonem cui involveretur, collatitia necesse fuerit pecunia coëmere, & sepulchri locum accipere commodatum. Quale autem vitæ principium & finis fuit, talis & fuit reliqua illius series: quia ne denarium quidem habuit, ad tributum, quod petebatur, solvendum; uti nec domum, in quam post susceptos labores se reciperet, & ubi Pascha cum discipulis suis manducaret: quia omnia ei commodato dari debebant. Causa hujus tam sedulò cultæ paupertatis fuit, quod mundi Redemptor in perfectionis evangelicæ fundamentum ponere volebat. (*Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, &c.*) Hinc eam & voce, & exemplo ipse suo ita confirmare, asserere, & constabilire voluit: sciens ut bonus Architectus, quòd, quanto altius superædificandum esset Ecclesiæ Catholicæ miraculum, tantò profundius oportere fodere & ponere fundamentum. Et idcirco etiam videre est, quòd isthoc paupertatis fundamentum Ecclesiæ Christianæ jam inde ab ejus exordio in usum & consuetudinem cœpi induci; sicut in Actis Apostolorum legimus c. 4, neque enim inter fideles tunc locum habebat *meum aut tuum*; sed omnia erant illis communia, seu in communi. Et notat *S. Hieron.* epist. ad Demetriadem, ideo fideles primos pretium agrorum, domorum, possessionumque venditorum ante pedes Apostolorum ponere fuisse solitos, *ut ostenderent pecunias esse calcandas, contemnendas, & sub pedibus proterendas*: Quinimmo *SS. Cyprianus, Basilius, Hieronymus, & alii* docent, fide-

fideles tunc passim paupertatis votum facere consuevissent; insuper in *communitatem perfectam* omnia resignasse & transtulisse, *meum ac tuum* nescivisse. De quo *S. Ambros.* l. i. offic. c. 25. *Si iustus esse cupis, habeto communia pro tuis, & tua pro communibus.* h. i. Si cupis esse virtuosus, ama paupertatem; nam optima virtutum nutrix est paupertas, aiebat *Petrarcha* l. i. Dial.

III. Super illa verba Christi Luc. 14. *Quis Rex iturus committere bellum, &c.* *Rodericius* inquit: *Sicut ad bellum gerendum numerosus exercitus, ad edificandum magna pecunia vis requiritur; ita ad edificandum & militiam spiritalem suae Ecclesiae, ante omnia paupertatem, & omnium rerum mundanarum despoliationem desiderari significat.* h. i. Et *S. August.* in illa verba Christi lc. *Quis ex vobis volens turrim edificare, &c.* ait, per turris hujus evangelicae constructionem vitae Christianae perfectionem designari; sumptus verò & pecunias ad aedificationem ejus requisitas esse, ut quis rebus omnibus terrenis renuntiet. Hoc enim si fecerit, liberior, magisque expeditus est ad Deo serviendum, & à daemone hostis sui insidiis & insultu securior, eò quod minus habeat eorum, per quae oppugnari, & impeti valeat.

IV. Quærit *S. Chrysost.* quid in causa sit, cur in primitiva Ecclesia tanta primorum Christianorum esset pietas & fervor charitatis, modernorum autem tantus tepor & remissio? *Causam esse* dicit, quòd tunc cum diabolo pugnaturi, nudi in arenam descenderent, ab omnibus se rebus, bonis, & facultatibus, ex quarum appetentia plerumque

que

que lites & dissensiones oriuntur, denudando: modò autem prodeunt concupiscentiã beneficiorum, possessionum, & bonorum intricati, quæ illis magno obstaculo sunt in studio & cursu charitatis. Hinc & S. Ambros. inquit: *ut rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum,* (occasionalitè saltem) *sic harum abnegatio generatrix est nutritrixque omnium virtutum.* Et S. Gregor. *Paupertas,* inquit, *bonis mentibus solet esse custodia humilitatis.* h. i.

V. S. Ignatius p. 3. constit. c. 1. §. 25. & Reg. 24. Summar. dum jubet: *diligant omnes paupertatem ut matrem,* ideo *matrem* nominat, quia illa ceu bona & vera mater, explicat Rodericus, ceteras virtutes in animabus progignit, nutrit, conservat; ipsa quoque est, quæ disciplinam religiosam factam tectamque conservat. Hinc etiam videmus (ait idem) Ordines, qui à primæva paupertate desciverunt, à Religionis etiam integritate defecisse, & esse ceu filios matri dissimiles ac degeneres. Alii contra qui sanctam hanc paupertatem velut matrem charissimam, non quomodocumque vel qualicumque & vulgari quodam amore, sed intenso, tenero, reverentiali, & appretiativo profecti sunt, Ordinis sui splendorem mirificè, & longissimis temporibus conservarunt. Inter quos vera eximius fuit *Seraphicus ille vir S. Franciscus,* qui *paupertatem Dominam suam* appellare solebat (c. 7. vitæ). Et in Regula Monialium S. Clare sic loquitur: *Obligamur ad Dominam nostram sanctissimam paupertatem.* Quoniam paupertatis amore & cultu homo ad dominium quoddam om-

omnium rerum, & subjectionem sub pedibus suis extollitur. *Hucusque Rodericius.*

VI. Paupertas sunt veræ divitiæ Religiosorum. *Est quasi dives, cum nihil habeat, & est quasi pauper, cum in multis divitiis sit.* PROV. 13. 7. Socrates eum Diis esse simillimum dicere solebat, qui quàm paucissimis egeret, cum Dii nullius egeant rei. Atque hic ipse per forum transiens, tantamque rerum venalium multitudinem videns dicere solitus fertur: *quàm multis rebus ego non egeo!* sed imperita multitudo, avari quoque ac cupidi, cum tantam rerum abundantiam contuentur, gemunt, ac dicunt, *quàm multa mihi desunt!*

NB. Ex hucusque dictis sat liquet, quantum bonum sit religiosa voluntariaque paupertas: Proinde de illa inviolata conservanda, seu restituenda, & contrariis ei abusibus & corruptelis abolendis Prælati Regulares sollicitâ curâ gerere debent, & majorem quàm pro temporalibus Monasterii divitiis ampliandis. Sed eheu justius plangeret hodiedum *Cassianus* coll. 4. c. 21. quàm suo tempore planxit, dum dixit:

VII. Nescio, qualiter rem ridiculam, quæ in Religiosis quibusdam usu venit, exponam: quòd, postquam facultates omnes & divitias, quas in mundo habebant, generosè dimiserunt, tanta tamen in Religione erga reculas & minutias contemptibiles solitudine & studio ferantur, ac supervacaneas & impertinentes commoditates tam affatim consecuntur, ut harum cura nonnumquam pristinarum omnium facultatum superet passionem. --- *Et non abscidisse, sed immutasse se probant*

probant pristinam passionem. Et Marcus Abbas in Biblioth. Patrum: *Avaritia vitium in materia abjectissima nutritur: non cumulamur aurum vel argentum, sed res vilissimas congerimus. Principatus & dignitates non accipimus, sed omni ratione laudem & gloriam hominum aucupamur. Miserabiliores ergo & reprehensione digniores sumus, quam mundani.* h. i. Tales pueriles Religiosi certè ut pueri sunt æstimandi, ac tractandi, qui tam pueriliter ab affectibus suis trahuntur, & vellicantur. Ab illis nullus solidus in perfectione profectus sperandus: nondum perfectè ablati sunt ab uberibus mundi, & jocalitatibus sæculi. Irridet meritò tales Religiosos diabolus, cùm quibus sic ridiculè ludit mundus. De talibus ultra discurret in eorum persona

VIII. *Rodericius* lc. dum inquit: ad primam pueritiam redimus: grandescere deberemus, & adolescere, ac cum Apostolo in virum perfectum quotidie crescere: & contrà facimus, dum è viris (quales eramus, dum Religionem primùm intraremus, omnia, quæ mundi sunt, relinquentes, & viriliter omnia transcendent) denuò pueri facti sumus, ad inanias & pueriles ineptias animum traducentes. Atque uti puer, dum pomum illi, similiaque infantilia auferuntur, quamprimùm lacrymatur: ita illi, dum recula, erga quam afficiebantur, carere coguntur, vel denegantur illis petita, statim turbantur & tentantur. Hoc est, quod *Cassianus* ex una parte risu, ex altera verò magna commiseratione & compassione dignum ait: quòd nimirum Vir gravis & religio-

fus, cui animus fuit & mundum, & quidquid in eo erat, dimittendi, usque eò se rebus inferioribus, vilibus & minutis submittat, ut se turbet & inquietet, (uti turbari solet puer, si pomum illi negetur) si nugæ aliquæ pueriles & ineptiæ ab eo auferantur. *h. i.*

IX. *S. Hieronymus* cùm inter suos Religiosos superfluas inanias reperisset, fratribus omnibus ad Capitulum convocatis, iussit coram illis hæc *Religiosorum Idola* comburi. *Peculia* nunc quoque adhuc sunt aliquorum *Religiosorum quasi Idola*; quia amorem Deo ex toto corde consecrandum, illis litant; & utinam ita dolerent de peccatis, de suis defectibus, imperfectionibus, sicut dolent & altum ingemiscunt, dum eis auferitur nummulus! utinam tanta firmitate quidam inhærerent divino amori, sicut pecuniario lucro! & hoc Judæ scelus est prò detestandum, plus amasse argenteos, quàm Magistrum Deum!

S. P. N. Franciscus dicere solebat verissimè, at gemebundè: *Spiritus emortui signum est, curiosa & minimè necessaria a vidè sectari, conservare, defendere.*

X. Cum itaque, ut ait *Rodericius* l. c. 14. cupidus habendi, recipiendi, dandi, vehementis quædam passio sit, & naturæ nostræ ad hoc satis proclivi valde conformis, ac proinde hominem apprime excæcet atque decipiat; hinc Superiores vigilantissimè attendant, ne hæc idola, hæc monstra in suis Monasteriis regnent, Religiosorumque animos occupent, inficiant, & à Deo vero abducant. Et quod fatagunt exequi in aliis, in se-

ipsis non negligent. Et sapius recogitent verba Concilii Viennensis, quæ citantur in statutis PP. Carmel. Discalc. Congreg. Hispan. *Deus per illud non vult sibi serviri, quæ servorum suorum statum & paupertatis conditioni dissonant.* h. i. Et, notat S. Bonav. in Bibliis pauperum c. 74. *Prophetarum sub Eliseo in magna paupertate vivebant, qui parum de pane, & insipidum pulmentum habebant, 4. Reg. 4. Ibidem: Discipuli Christi pro majori parte de statu paupertatis fuerunt assumpti.* h. i. Et c. 97. *Interesse voluit Iesus pauperibus nuptiis, ubi vinum defecit: non autem interfuisset splendidis & divitibus.*

XI. Superiores quoque sub prætextu sublevandæ communis necessitatis, non obliviscantur sacræ paupertatis; nec temporale lucrum præponant spirituali animarum. De quo S. Bern. homil. 4. super missus est. *Video & alios (quod sine dolore videri debet) post aggressam Christianitatem, rursus secularibus implicari negotiis, rursus cupiditatibus terrenis immergi, cum magna cura erigere muros, & negligere mores: sub prætextu quoque communis utilitatis verba vendunt divitibus, & matronis salutationes.* h. i. Et Constitut. præcit. Carmel. Discalc. i. p. c. 10. ita loquuntur, valde seriò dictam doctrinam inculcantes: *Hortamur verò in Domino, & sapius in visceribus Iesu Christi Superiores omnes monemus, ut terrena caelestibus, humana divinis præferentia subditorum salutem, ac proinde propriam (cùm eorum rationem teneantur reddere) pro vili ac temporali lucro tot periculis exponant.* h. i.

XII. Superiores quoque, quantum fieri potest, suos subditos domi contineant, & occasionem paupertatis religiosæ temerandæ ipsis præscindant, ut ita in solitudine & silentio spiritualibus exercitiis vacantes, sapere discant paupertatis religiosæ dulcedinem, quæ vigorem spiritûs tribuit amantibus, at tædium generat nauseantibus, ac foris delectamenta carnis & solatiola quærentibus. Quocirca congruè ad hanc cautelam adhibendam verissimè dixit *Cassiodorus* de anim. c. 18. *Multa turba vitiorum sine certamine vincitur, quando solitudinis gratia suffragatur.*

XIII. Insuper (ut monet *Alfonsus à Jesu Maria* disc. 10. consil. 5.) oportet, ut Prelatus sit præditus magnâ spiritûs paupertate, sibi que honorè ducat, si eam accuratè observet tam in expensis communibus, quàm privatis faciendis, præsertim verò in rebus ad quotidianum ipsius usum spectantibus, siue quid impendendum sit pro sua persona, siue pro cellula. h. i.

XIV. Ordinum Reformatores, inter alia reformationis media, singulariter à paupertate incipiunt. *S. Bonav.* electus in Generalem, accingens se gravioribus actionibus, cum jam Religiosi cœpissent à Fundatoris disciplina paululùm declinare; monendo, instando, castigando, ac operosiùs laborando ad meliorem vitæ frugem reduxit, Religionem *S. FRANCISCI* reformavit, incipiendo à ruptura *mur: paupertatis*; proinde Alphabetum Religiosorum incipientium incipit à paupertate, dicens: *Ama paupertatem, sis vilibus contentus.* Idem lit. E. in *Alphab. majori*:

Elige paupertatem, & simplicitatem: paucis sit contentus, & non facile murmurabis. Ibidem in lit. M. dicit: Magnum donum Dei est, pauperem esse in hoc mundo propter Christum, & infimum tenere locum. h. i. Porro horrenda exempla de transgressoribus voti paupertatis vide supra l. 2. & infra l. 5.

CAPUT XII.

De Communitate frequentanda, & amanda à Superiore Regulari.

I. DE hoc cit. *Alfonfus* in suo Consiliario disc. 2. consil. 4. ita docet: Sive loci, sive Provinciae Rector sit, perrarò à gubernii sui limitibus se absentet: haud enim facile expediverim, quantum inferri possit damnum ab uno indiscreto vicarium tenente locum, licet alioquin vir bonus & probus sit, potissimum verò si sit juvenis, & plus ipsi pulveris adhuc scholastici, quàm experientiae adhærescat: proprio siquidem absente Superiore, plerumque aliquid domi ex defectu plenae auctoritatis interturbatur. Hinc bonus Pastor, quantum potest, conetur semper adesse ovibus. Joan. 10. 4. & 8. *Cum proprias oves emiseric, ante eas vadit, & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Ubi autem ab eis sæpius recedit, periculisque obnoxias linquit, non est verus Pastor, sed mercenarius. Aristoteles l. 2. de œconomia refert de Perfa quodam, qui rogatus, quare oves inanescerent; respondit, quòd oculis opilionis. iis*

verò

verò à grege averſis, eas macie attenuari, debilesque, immo nonnumquam inutiles evadere. Huc facit etiam, quod de hac materia adducit Sapiens Prov. 20. 8. *Rex qui ſedet in folio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Id eſt, Superior præſentia ſua & vigilantia poteſt multum boni procurare, & plus mali impedire. Sed frequenter ſe à grege abſentanti, ſuaſq; commoditates, & recreatiunculas avidè venanti acriter improperat Propheta Zacharias II. 17. *O Paſtor! & idolum, derelinquens gregem!* Proinde quidam magnæ experientiæ Vir optimè & veriffimè dixit: *Præful ut ſuis præſit, & proſit, rarò ab his abſit.*

II. Cauſam autem, ob quam Superior cum aliis communitatem frequentare debeat in choro, reſectorio, proceſſionibus, communibusque aliis religioſis exercitiis (niſi aut neceſſitas, impotentia, aut occupationes, aut hospitalitatis charitas, aut Regula, aut Conſtitutiones excuſent, vel interdum eximant) tangit *S. Bonav.* ut nim. & verbo, & præſentiæ ſuæ maturitate, ac exemplo contineat ſubditos in timore Domini, compoſitione, Regulari diſciplina, & cohoneſtet operis Dei reverentiam; quod melius peragitur, dum Superioris præſentia, inſpectio, cenſura ac regula adeſſe conſideratur. Verba *S. Bonav.* in Ala 4ta ſunt hæc: *Boni Maſtri bonos diſcipulos facere conſueverunt; ut frequentius multi fierent meliores in Religionibus, & in Eccleſia, ſi melioris eis vite exempla à ſuis Doctõribus proponerentur.*

Negligentia enim huiusmodi ab illis, qui culpabiles sunt, districtè in iudicio requiretur. Ezech. 34. Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum. Doctrina verborum sine exemplis operum est, sicut cæmentum sine calce aridum & invalidum. Ipsi linebant parietem absque temperamento. Dic eis, quòd casurus sit. Ezech. 13. 11. De correctis exemplaribus correctæ scribuntur volumina, de corruptis corrupta. Tenaciùs inhereat doctrina operum quàm verborum: nam, cuius vita despicitur, restat, ut ejus prædicatio contemnatur. h. i.

III. Qualiter e communitatem sequatur, eruditè docet S. Bonav. lc. dicens; *Quamvis in omnibus virtutum exemplis debeat Rector præcedere subditos; specialiter tamen in his tribus, scil. 1. in communis observantiæ conformitate, 2. in mansuetudinis humilitate, 3. in maturitatis honestate.* Tit. 2. *in omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.* Itaque communem vitam cum ceteris observet in victu, & vestitu, & labore: ut non vacet convivis & potationibus, cum alii sobrio cibo & potu utantur. Nec sit eis dissimilis habitu, cum quibus est ei professio communis. Nec à labore ceterorum se subtrahat, qui illos jubet in iisdem laboribus exerceri. Pastor si se à grege segregat, oves insidiis luporum exponit. *Sanus sit sanis, & infirmus infirmis.* Cor. 2. *Factus sum infirmis infirmus, scil. exemplar, ut infirmos lucrarem: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Nam si sanus debilitè vi-

vat, facit eos exemplo suo carnales: si verò infirmus recuset infirmorum remedia, facit eos pusillanimes, innuens, quòd aut eos velit similiter facere, aut non cupiat eis, ut melius fiat illis. h. i. Subdit

Alacrius certat miles in acie, si ducem suum secum cernit laborem certaminis tolerare. Act. 1.
 In omni tempore, quo intravit & exiit inter nos Dominus Iesus, &c. id est, semper exemplo suo erudit nos, intrans familiariter cum discipulis vivendo, & exiens utiliter cum turbis, prout congruebat, conversando. h. i.

IV. Mensæ communitatem sectetur exactissime: valde enim nocet communitati, si sine causa à communi mensa se subtrahat; tunc enim subditorum murmurationibus, & temerariis judiciis, immo & subinde justæ vilipensionis se exponit. (Attamen Abbatum mensam Regula distinguit, dum dicit c. 56. *Mensa Abbatis cum hospitibus & peregrinis sit semper*). At hoc privilegium mendicantium Superioribus non suffragatur: quorum constitutiones, sicut & nostra Urbanæ, mensæ communitatem præscribunt non tantum Superioribus localibus, sed etiam ministris Provincialibus in Conventu quietè demorantibus. Suam in hoc praxim declarat S. Bern. l. de interiori domo c. 58. *Grave mihi est, ut dissimiliter à fratribus meis reficiar, & epuler splendidè, illis aridè reficientibus.* h. i. Jubentur insuper in constitut. Urban. in c. 3. tit. 19. §. 2. *Omnes, quicumque hi fuerint, ut, sicut iisdem escis vescuntur, ita eodem mense apparatus utantur.* Hinc peculiaris, man-

tilia, vasa quaecumque vel etiam mappas, aliaque id generis nemo habere presumat. Et §. 8. Mensa communitas ita seruetur, ut nulli etiam Superiori quidquam proprii ad eam privatim deferre liceat; omnes enim ejusdem familiae Fratres iisdem penitus cibis vesci necesse est. -- Superior tandem, qui proprietatem in mensa toleraverit, à Provinciali Ministro, aliisque Prelatis corripatur, attentisque circumstantiis, si nim. deliquerit, etiam ab officio deponatur. h. i.

V. De hac mensae communitate pariter statuitur in Regula S. Isidori c. 10. Refectionis tempore, dato signo, pariter omnes concurrant. Qui autem ad mensam tardius venerit, aut poenitentiam agat, aut jejunus ad suum opus vel cubile recurrat. h. i. Et Regula S. Basilii interrog. 97. Si quidem necessitate vel loci, vel operis remansit à communi ordine, qui praest, probabit & ignoscet. Si vero cum posset, non satis egit occurrere, fateatur culpam negligentiae suae, & maneatur sine cibo usque ad illam horam, qua convenitur ad cibum in posterum diem. h. i.

VI. Insuper de communitate mensae necessaria in Religionibus agit Dionys. Cartus. a. 18. de Reformat. Claustral. (demptis solitariam vitam agentibus) sic loquitur: S. Benedictus ait in Regula sua: ad horam refectionis, qui ante versum non occurrerit, ut omnes simul dicant versum, & orent, simul accedant ad mensam. Qui ergo per negligentiam suam aut vitium non occurrerit usque ad eandem vicem, propter hoc corripatur: si denuò non emendaverit, non permittatur ad communis mensae

sa refectioem, sed sequestratus à consortio omnium reficiatur solus, ablata ei portione sui vini, usq; ad satisfactionem & emendationem. Similiter patiatur, qui non fuerit presens ad versum, qui post cibum dicitur. Et nullus presumat ante statutam horam, aut postea quicquam cibi aut potus accipere. Iterum ait: Qui pro culpis levibus excommunicantur tantum à mensa, in O-ratorio satisfaciant usque ad iussionem Abbatis. Ex his constat, quàm seriosè & fervidè Beatiss. Pr. Benedictus voluit Monachos suæ Religionis ad unam refici mensam, & simul accedere, simulque exsurgere. Nam & à communi mensa separari, excommunicatio quadam est, secundum eum, & tamquam poena pro culpa infligitur. h. i.

VII. Damna autem ex mensis privatis emergentia (præter damna œconomia, culinæ, & cellæ, seu caveæ, temporisque inutilem absumptionem) recenset mem. Dionys. Cartus. lc. Ex privatis & separatis Religiosorum refectioibus, atque convivis multa, & magna, & periculosa vitia oriuntur, videl. ingurgitatio, loquacitas, dissolutio, saturitas, delectatio sensualis, consolatio carnalis: ex quibus sequuntur concupiscentia, & inflammatio corporis, fastidium divinorum, somnolentia, scurrilitas, levitas, perditio temporis infructuosa, immo & vitiosa atque indevota, & negligens persolutio operis Dei, quod solum maledictionem Dei meretur, S. Jeremia c. 48. dicente: maledictus, qui facit opus Dei negligenter (fraudulenter, habent aliæ versiones) omnino ergo curet Religiosus juxta Regula sua tenorem, ad communem pergere mensam: quia & hoc fraternam

fovet dilectionem, & suspiciones abscindit sinistras: oppositum verò tamquam detestabilem consuetudinem fugiat. h. i.

VIII. S. Aurelianus in sua Regula §. 52. hæc statuit de mensæ communitate. *Extra mensam communem nec quidquam cibi, potiusve gustare liceat, absque infirmis, & illis etatibus, quæ adhuc pernutriri indigent.* h. i.

IX. Si Superior Regularis, & quicumque subditus ament communitatem in mensa, & in aliis publicis Conventibus, plus diligentur ab aliis: è contra odibiles se faciunt, sectando singularia. De quo S. Bonav. in Alphab. Religios. lit. Q. *Qui communia sectatur, & singularia vitat, magis diligitur, & citius ad bonum finem perveniet.* h. i.

CAPUT XIII.

De nimia Palatorum solitudine circa temporalia, evitanda.

I. CAUSÆ vetitæ hujus nimix solitudinis est, ne extinguatur spiritus devotionis, forma boni exempli dandi subditis, & ne, quæ magis necessaria sunt, negligantur. De quibus S. Bonav. in Alabastra Ecclesiastici Seraph, inquit, *Tertius ordo versetur circa negotia, quæ per Prælatum sunt disponenda. Quorum alia expedit, ut aliis disponenda committat, alia per se ipsum disponat: alia præsidat, & removeat, quantum videtur. Sic Christus commisit alia discipulis procuranda, ut Judea loculos; sibi met retinuit prædicationis & curationis officium*

scium, Luc. 12. ut inter Fratres quosdam hereditatem divideret, respondit: homo, quis me constituit iudicem aut divisorem inter vos? h. i. subdit.

II. Exteriora & temporalia corporalis necessitatis officia si per seipsū voluerit aētū disponere, impeditur ab interiorū & meliorū provisione; quia sparsus extra se mentis oculus minus videt interiora & necessaria salutis. Exod. 18. Esto tu populo in his, quae sunt ad Deum; & leuius feres, partito in alios onere, scil. leuiorum. Act. 6. Non est aequum nos relinquare verbum Dei, & ministrare mensis. Si alios non haberet; quibus curam exteriorum committeret, potius deberet ab alio fraudem in temporalibus pati, quam ipse Praeatus in talibus occuparetur, exemplo Christi, qui sciens Iudam esse furem, tamen permisit eum exteriora procurare. Ioan. 13. Hoc est contra illos, qui facilius inveniunt, quibus curam animarum committant, quam rerum suarum temporalium; cum incomparabiliter majus sit dispendium, periclitari animas, quam res perire. h. i. prosequitur hanc materiam.

III. Spiritualia verò, & quae ad salutem necessaria sunt, & profectum virtutum principaliter debet animarum Custos & Rector sibi met curanda retinere; cum haec sint de substantia officii pastoralis, & de his maxime sit in iudicio rationem Domino redditurus. Haec sunt Imò qualiter Regula studiosè seruetur, & alia statuta, & Ordinis disciplina. Item 2dò, quod pax & dilectio sit inter fratres. Item 3dò ad ipsum pertinet, conscientias singulorum agnoscere, & de quibuslibet perplexitatibus expedire: pericula peccatorum praevidere, & praecavere,

cavere,

cavere, monere Fratres, ut proficiant: corrigere corrigenda: elucidare dubia, informare singulos, qualiter officia sibi commissa administrent, quò & Fratribus, prout convenit, sufficiant, & conscientiam non offendant. h. i. Plura documenta addit ibid.

IV. Superflua verò & non necessaria salutis vel profectui animarum negotia expedit præcidere, & tam à se quàm à Fratribus, quantum opportune poterit, remove. --- Cùm enim propter temporis brevitatem, & diei malitiam, vix necessariis sufficimus disponendis; si supervacuis vel alienis volumus occupari negotiis, negligimus utiliora & meliora; cùm distractus animus ad plura sit minor, ad singula providè geragenda. h. i.

V. Inde fit aliquoties, ut Prelati & Religiosi nimis se exterioribus occupationibus implicent, edificiorũ, librorũ, causarũ, & aliorum, quibus fructuosius carerent; & non solum meliora interim negligant, sed etiam conscientiam sæpius inquinent; & ex usu exteriorum tenebrescat oculus mentis, ad contemplationem spiritualium & interiorum, & tepescat ad desiderium Supernorum. Sicut enim humores noxii affluunt, ubi fuerit in corpore lasio, nisi cautè removeantur; ne fiat ibi tumor & ulcus: ita & negotia crescunt ad extinctionem spiritus, qui si eis acquieverit occupari. Ideo discretio Prelati debet providè prospicere, quid ex quolibet eventu possit consequi, & qua negotia admittere, vel quantum expediat ea exequi, circumspectè rimari. Eccli. 9. Fili, ne in multis sint actus tui. Qui sarcinam satis gravem portat, im-
pru-

prudens est, si adhuc onera plura sibi portanda imponit, quibus potest opportunè carere subdit.

VI. Super omnia verò debet Rector semetipsum circumspicere, ne aliis providens semetipsum negligat: ne alios salvans semetipsum in periculum demergat. Matth. 16. 27. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur? h. i.

VII. De eadem hac materia pulchrè discurret cit. *Alfonsus à Jesu Maria* disc. 5. Consil. 3. dum inquit: Non permittat se Prælati mancipari ab immoderata & indiscreta rerum temporalium cura, sed occludat portam immodicæ cupiditati, quæ, obtegendo se pallio necessitatis, impedire solet præcipuam aliquorum Rectorum partem, cui majorem deberent impendere attentionem, - - contra quos est illud *S. Gregorii* l. 37. moral. c. 17. *Si fortasse validum contra avaritiam cernit Diabolus, importunè ejus cogitationibus domesticorum suorum inopiam suggerit; ut, dum mens ad provisionis curam quasi pie flectitur, seducta furtim in rerum ambitu inique rapiatur.* h. i. *Spera in Domino, & fac bonitatem, & pascere in divitiis ejus.* Ps. 36. Matth. 6. *Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Quarite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus; & hac omnia adjicientur vobis.* h. i.

VIII. Indefessè ergo & indefinenter insistat Rector animabus curandis & conservandis: Et si non statim videat desideratum effectum, ne abjiciat animum. Prov. 19. 18. *Erudi Filium tuum, ne desperes.* 2. Tim. 4. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Et hujus methodum

clariùs docet S. Gregor. Nazianz. Tom. 2. orat. 26
 Si primùm oblectetur subditus, lenitèr expecta; si
 secundo. ne spem abicias; nondum enim curationis
 tempus effluxit: si tertio, benignum illum, & huma-
 nitate præditum agricolam imitare, cum Domino
 adhuc age, ne inutilem & infructuosam sicum ex-
 scindat, atque odio habeat, verùm emendet, & curet,
 & stercus injiciat, hoc est, eam correctionem, qua
 per confessionem ac publicam ignominiam, contem-
 ptiozem victus rationem efficitur. h. i. Et S. Chry-
 sost. Valdè accommodatè ad hæc homil. 44. in
 I. Cor. 16. inquit: Hoc extrema amentia est, cum
 in incerto sit finis, certum subire crimen negligentia.
 Atqui Deus futura præsciens saepe dixit, & nil pro-
 fecit, & neque sic destitit, neque cum sciret se non
 persuasurum. Si autem, qui præscivit se nihil plu-
 effecturum, non destitit corrigere, quamnam habe-
 bis excusationem, qui futurum omnino ignoras, pi-
 grescisque & torpescis? etenim multi saepe aggressi
 profecerunt, & cum maxime desperassent, tunc ma-
 xime sunt assecuti. Quod si etiam nihil amplius effe-
 ceris: fecisti quod tuum est. Ne sis ergo inhumanus,
 neque immiseri cors, neque negligens. h. i.

IX. Paupertas voluntaria est bonus redditus.
 Willige Armuht ist besser als Gelt und Gut.
 Hinc in paupertate, fiducia ponenda. De quo in
 vitis PP. obtulit quidam Frater seni pecuniam di-
 cens: habe hanc pecuniam ad expensas tuas, quia
 senuisti, & infirmus es. Cui senex respondit: tu post
 60. annos venisti auferre à me Nutritorem
 meum; ecce enim tempus habens in infirmitate
 mea, nihil indigui, Deo tribuente, & pascente
 me. Aptè ad hæc S. Chrys. in Epist. ad Hebr.

Nihil

Nihil opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit,
& cum alacritate suscipit. Ipsa enim est manu-
datrix in via ad celum, unctio athletica, exercitatio
quaedam magna & admirabilis, portus tranquil-
lus. h. i.

CAPUT XIV.

*De Superiorum Regularium sollicita sed ordinata
cura circa necessitates corporales suorum
subditorum sublevan-
das.*

I. Quoniam ob negligentiam eorum in hac cu-
ra, subditi peculia sibi conquisierunt, in ma-
ximum detrimentum Regularis vitæ, ac discipli-
næ; eapropter ad peculia nociva eliminanda,
hæc cura in superioribus erit resuscitanda, & ma-
xima cum solertia custodienda. De quo in nostris
constitut. Urban. hoc decernitur Tit. 9. in c. 4.
Regulæ §. 1. *Maximè opus est, ut Pralati ipsi, qui-
bus ex iuncto Regule præcepto incumbit, omni
vigilantia, charitate, & solertia, ea omnia, quæ sin-
gulis fratribus, non ad victum & vestitum tantum-
modo, verùm & ad infirmitates sublevandas, ad
studia prosequenda, ad itinera peragenda, ad la-
bores reficiendos, & ad consimilia quacunque onera
perferenda necessaria erunt, paterna benignitate,
& sollicitudine, nullâ (quando necesse fuerit,) dila-
tione facta, providere debeant.* h. i.

Et §. 2. *ibid. Quapropter quibuscumque singu-
larum*

larum

larum provinciarum capitulis seu Capitularibus Congregationibus, post harum Constitutionum promulgationem proximè & immediatè celebrandis. (Signant hæc duo adverbia terminum obligationis non differendæ; non verò terminum finiendæ.) Sub obtestatione divini iudicii firmiter ad meritum salutaris obedientiæ precipimus, & mandamus, quatenus omnia alia omissa. (Si opus fuerit.) cura, omnique postposito gravi negotio, in hoc unum precipuè & singulariter intendant, ut de succurrendis Fratrum necessitatibus certum hoc & infallibile Decretum stabiliatur. h. i.

II. Et § 8. lc. Superioribus autem, qui ad necessaria decernenda, providenda, & dispensanda ex vi Regule constituti sunt ordinarii iudices, quàm maximè invigilandum est, ne eorum cura commissi Fratres indigentibus, necessitatibus, & angustiis pressi, corporis & animæ pericula subeant. Discretè itaque, prudenter, ac (ut uno verbo dicatur) paternè prorsus, quæ necessaria erunt, unicuique etiam eorum familia minimo absque dilatione, absque increpatione, sed læto & hilari vultu impartiri curabunt.

Et §. 9. è contra verò Fratres omnes subiectos patienter sufferre decet, si quando urgente necessitate, sive per dilationem, sive alio quovis modo aliquantulum eos pati præter superioris optata contingeret. Ita enim procul dubio fiet, ut Superior subiectos Fratres, Fratresque subiecti Superiores vicissim omni charitatis officio prosequentes, sanctam, quietam, & ab omnibus seraphicæ Regule, Sanctarumque

que Constitutionum transgressionibus alienam, & immaculatam vitam traducant.

III. §. 10. Quod si superiores Fratres ipsos non ut Filios, sed ut servos, omni necessitati sive ex injuria sive ex contemptu subesse patiantur; certissimum est, eos in deteriora lapsuros, & NB. ad loculos contra jus fasque, & ad constitutionum ipsarum & Regula transgressionem sese conversuros. §. 11. Quapropter nihil, quod eorum partium sit, omittant Prelati, ut supra gregem suum invigilent, ne commissarum eis ovium sanguis de manibus eorum requiratur: ac pro comperto habeant, quod (ut inquit D. Gregorius) non potest esse pastoris excusatio, si lupus ovem rapiat, & pastor nesciat.

Et §. 14. Superiores autem, quidquid deprecatur Fratrum necessitas, per Officiales conventus, in propria tamen specie, non verò in pecuniis, Fratribus ipsis benigne, paterneque subministrabunt. -- Qui autem alias Fratrum necessitatibus succurrere, seu quaecumque eis necessaria aliter subministrare, sive huic decreto contraire presumpserint, privationis officiorum eo ipso poenam incurrant. §. 15. Indiscretus autem Superior, qui natura simul ac Regule jura, aut necessaria denegando, aut leviter superflua concedendo, seu alias quomodolibet violaverit, ab officio cecidisse se sciat. §. 16. Inquirant autem diligentiori examine Generalis Minister, & Provinciales in eorum visitationibus, num dispensationes hujusmodi aequè, ac juxta regularis discipline statuta facta fuerint; quòd si iniquè & indiscre-

tè factas esse compererint, severe in eos, ad quos spectaverit, animadvertant, h. i.

IV. Porro de utilitate, & necessitate huius curæ loquitur D. Bonav. in apologia pauperum sic inquit: *Quod maxime locum habet in Prælati Ecclesie, quarum perfectioni consonat, ut & spiritualiter, & etiam corporaliter pascendis sibi commissis gregibus intendant.* h. i. Et D. Thom. 2. 2. q. 118. a. 7. in corp. inquit: *Solicitude, que circa proprias divitias adhibetur, pertinet ad amorem privatum, quo quis se temporaliter amat, sed sollicitudo, que adhibetur circa res communes, pertinet ad amorem charitatis, que non quarit, que sua sunt, sed communibus intendit.* h. i. Insuper Prælati cogitet, quòd pascendo subditos, pascat Christum ipsum. De quo S. Bonav. in ps. 118. *Prælati lacte pascit Christum, si habeat dulcedinem in contemplatione, humorem in devotione, si alios pascat sua Sancta conversatione, & si habeat munditiam in carne, in conscientia, & in opere.* h. i. Idem in c. 12. Lucæ requirit in Prælati, quæ habuit Joseph Gen. 41. *Qui ad dispensandum frumentum constitutus est super terram Egypti, in quo fuit fidelitas, & prudentia, auctoritas, & vigilantia, seu diligentia.* h. i.

V. Itaque triplex donum desideratur in Superiore in ordine ad hunc finem; quo dono qui caret, laudandus est (ceteris paribus) si officium Superioris subire detrectet. De quo Isai. 3. 6. *Apprehendet vir Fratrem suum domesticum Patris sui: vestimentum tibi est, princeps esto noster.* - Respon-

spondebit in die illa dicens : non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum. q. d. Superior debet posse vulnera & defectus curare, corporaliter pascere, simul & vestire. Ad quæ Deus supeditabit consilium & auxilium, modò is cum suis eidem Domino fideliter deserviat, & partibus muneris sui non desit. Superflua autem non quærat, sed tantùm pro necessariis quotidianis misericordem Patrem cum suis filiis precetur. Nam, ut *Laert.* l. 1. disc. 5. ait: *Optimè hæc est constituta domus, cui superfluum nihil abundat, & necessarium nihil deest.*

VI. Meritò *Judic.* 9. 8. arbores electuræ inter se Regem, iverunt ad arbores, quæ habebant gratiam pascendi, ungenti, vestiendi, lætificandi. Quos & effectus Prælati in se erga subditos experiri & exercere conetur. Et quidem, ut ait *Hugo Cardinal.* in cap. 6. prov. *Prælati tenentur subditis triplex dare pabulum, scil. verbi, exempli, & temporalis subsidii.* Ita tamen servetur necessitas nature, ut abscindatur superfluitas concupiscentia. Nam *Eccli.* 29. *initium vite hominis aqua, & panis, & vestimentum.* Sequetur, quantum prævalet, pium Samaritanum, *Luc.* 10. 34. *Qui vinum & oleum infudit in vulnera infelicis, sustulit in jumentum, recommendavit stabulario proferens duos denarios, dicensque: curam illius habe. Sit pius Samaritanus, id est, in omnibus subveniat indigentibus, juxta eorum necessitates. Immo sit & Minister illorum prout jubet in Regula S. P. N. *Franciscus*, & exprimit. *S. Bernard.* *serm.* 82. cant. *Infirmi & pusilli, ipsi me utantur, ut**

libet, tantum ut salvi fiant. Parcent mihi si non pepercerint: Et in eo potius requiescam, si non me inquietare timuerint pro necessitatibus suis. Geram eis morem quoad potuero, Et in ipsis seruiam Deo meo, quamdiu fuero in charitate non ficta. Non queram qua mea sunt, nec quod mihi est utile, sed quod multis id mihi utile iudicabo. Hoc solum deprecor, ut fiat acceptum eis, fructuosumque ministerium meum, h. i. Idem serm. 53. Qui aliis praestit in sollicitudine, vix umquam vel raro securè vacat sibi, dum semper timet sui penuriam facere subditis, Et non placere Deo; quod communi utilitati propriam praefert quietem. h. i. Et serm. 51. Si quando sanè comperi profecisse aliquos vestrum ex meis monitis, tunc non me piguit, fateor, curam praetulisse sermonis proprio otio Et quieti. h. i.

VII. De provido in his, & benigno Praelato ait Picinellus: Praelati, qui benevolè religiosi subditis mensam congruam adornant, Et vestitum opportunè distribuunt, diliguntur ut Patres, coluntur ut Principes, Et propemodum velut Dii adorantur. h. i. De qua reciproca subditorum obligatione ait Hugo à S. Victore: O Religiosi subditi, quoniam Praelati indefessa cura laborant, ne vobis corporalis desit sustentatio, vestrarum sanè partium erit, penitus in spiritalia incumbere studia, impendendo vires suas in servitium templi, chori, Et tabernaculi. Quoniam de Altari pascimini, vestimini, Et necessaria quaeque accipitis; oppidò indecorum foret, Altare à vobis deserì. Si vivimus de annona Christi, Et iustum est, ut laboremus in servitute Christi, h. i.

VIII. Porro quoad modum dispensandi necessaria, inquit Petrus à S. Audomaro Canon. regul. l. 2. institut. monast. c. 12. dum inquit: Cavendum dispensatori, ne sua tenacitate praebeat materiam excusandi peccatum praetextu necessitatis. Rursum, ne sua profusa liberalitate invidentiam in eis nutriat, & argumenta luxuriandi ministret; sed dividat, prout unicuique opus est. h. i.

Idem in orat. contra proprietarios, excellentiorem viam pro extirpatione proprietatis Superioribus ostendere volens, illis interrogantibus, quæ esset illa, respondit: Ut faciatis, quæ fecit Dominus & discipuli ejus: cum enim vidisset Jesus turbas esurientes, nec haberent, quod manducarent, voluit, ut irent per villas & vicos, ut procurarent sibi: nec etiam voluit eos dimittere jejunos in domos proprias, ne deficerent in via: sed dixit discipulis suis: vos date illis manducare. Ita & vos date subditis vestris necessaria, ne opus habeant ab amicis quidquam emendicare. Si vestes, si cultellos, si devotos libellos, aut simile quid desideraverint, vos (si tamen superflua non quaesiverint, non curiosa) in charitate emite illis: Sic occasionem proprietatis amputabitis, & ex domibus vestris eliminabuntur. h. i.

Subdit: Sed reperuntur, pro dolor! Pralati parum curantes, quid subditi faciant, aut unde sibi, quæ desiderant, acquirant; dummodo ipsi sua marsupia resolvere non cogantur: pecunias plus diligentes, quam Fratrum animas, Christi sanguine redemptas. Hinc est, quod Fratres sibi ipsis provideant: hinc

proprietas incrementum capit : quæ ubi ingressa semel fuerit, multas secum trahit pedissequas, inobedientiam, intemperantiam, ebrietatem, & id genus pestes alias. h. i.

IX. Porro tenacium Superiorum instantiis occurrit Zegnerus p. 1. c. 3. §. 1. Sed dicent forsitan Superiorum nonnulli : si subditis peculia permittantur, plures ad religionem recipi poterunt : quia dum aliqui à parentibus aut aliunde sibi necessaria conquirunt, poterunt ex communibus Monasterii proventibus sustentari. Verùm ab his peti posset, num. si ea omnia, quæ à parentibus, aut aliunde particularibus obvenirent, in perfectam communionem redigantur, & cum reliquis Monasterii proventibus confundantur, non aequè multis eo casu ex communi Monasterii thesauro per ejusmodi bonorum seu rerum ajectionem sic aucto provideri posset, quàm si illa in usus particulares manerent separata?

NB. Sed reponent : Si ea, quæ à parentibus, aut aliunde acquiruntur, passim in communionem redigantur, ut omnium indifferenter necessitatibus impendantur, facile eventurum, quòd parum erunt solliciti, ut quidquam à parentibus aut aliunde conquirant. Sed

Respondeo, Si ea putetur in Religiosis animæ constitutio, tantum abest, ut ea foveri & permitti possit ad numerum fratrum multiplicandum; ut è contra non dubitem quin satius esset, etiam congregationem aliquam totaliter extinguere, quàm ejusmodi animi affectus in religiosis permittere. Apud omnes quippe in confesso est, Regula-

res illos proprietatis vitio saltem affectu infectos esse qui sollicitant parentes, ut aliquid ab ipsis accipiant, usibus suis particularibus applicandum; non sollicitaturi, si illud scirent in commune redigendum. Hoc ipso enim ostendunt, se illud sibi, non communitati procurare, ac per consequens sibi velle esse proprium, id est, peculiare. NB. Deinde cogitent hi, qui peculia illa permittunt, ut numerum augere queant; non in multitudine Fratrum, sed in debita disciplina Regularis custodia, cujus precipue bases, & fundamenta sunt votum paupertatis, & perfecta rerum communitio, Religionis salutem consistere. h. i.

X. Porro de medio servando in cura circa temporalia exactè instruit S. Bern. l. 4. confid. sic agens. Hec dicens, non te moneo, summis occupatum intendere infimis, & quasi minutum fieri, in minimis impendere quod maximis debes. Quid te intrices, unde te eripuit Deus? hec, inquit, omnia adjicientur vobis. Verumtamen & hec oportet facere, & illa non omittere. At illa per te agens, per te etiam, oportet, provideas, qui pro te de his provideant. -- Vacuum prorsus à sollicitudine rerum minorum & vilium oportet esse animum tam magnis & tam multis intentum rebus. Oportet liberum, quem nulla sibi vendicet violenta occupatio. Oportet ingenuum, quem nulla deorsum trahat indigna affectio. Oportet rectum, quem nulla seorsum avertat sinistra intentio. Oportet cantum, quem nulla subeat furtiva suspicio. Oportet vigilem, quem nulla à sese abducat peregrina & curiosa cogitatio. Oportet firmum, quem nulla concutiat repentina tur-

batio. Oportet invictum, quem nulla fatiget tribulatio. Oportet amplum, quem nulla coarctet rei temporalis amissio. His te non dubites & bonis privandum, & feriendum malis, si animum dividens, & Dei rebus, & tuis pariter reculis volueris impartiri. Procurandus, quem implices, qui pro te molat, pro te, dico, non tecum. Quaedam per temetipsum facies, quaedam per te & alios simul, quaedam per alios & absque te. h. i.

CAPUT XV.

De modo, & medio, quibus utetur Prelatus Regularis ad reformandos Religiosos sui Monasterii, vel provinciae.

NB. QUæ circa titulum hujus capituli resolvi possent, verbo-tenus ex *Dionys. Cartus.* excerpta hic proponam; qui l. de reformat. Claustral. a. 25. hanc methodum præscribit.

Quoniam sine auxilio gratiæ Dei nil merito-riè agere possumus, immo nec cogitare; quò major res est reformatio communitatis, eò ampliùs dependet à Deo, & tantò plùs necessarium est speciale auxilium directionis & cooperationis Spiritus S. Abbas ergo sive Superior, ad reformationem subditorum suorum verè & ordinatè volens procedere.

Primò, humiliet se profundissimè coram Deo, propriam insufficientiam ex totis præcordiis confitens, adiutoriumque Divinum lacrymosè, affectu-

quo.

etuosissimè, & indefinenter exorans, ut se illuminet, dirigat, & confortet ad exhortandum salubriter, ad agendum exemplariter, ad consummandum feliciter: subditorumque corda dignetur misericordissimè intueri, mollificare, & aperire, ad audiendum & consentiendum, ac perficiendum, quod eis suadetur, & dicitur, & ad quod tenentur. Porro si Abbas viderit se proficere, nequaquam inaniter gloriatur, sed Deo humillimè regratietur, totumque pietati adscribat divinæ ex intimo corde, ut Deo semper gratus ac subiectus consistat, & ipsum semper in cunctis glorificet.

*Secundò, quia, ut S. Dionys. docet, Prælatùs tanta debet esse perfectionis & gratia, ut ex plenitudine sua subditis suis communicet: & plus est docere exemplo, seu factis, quàm verbis dumtaxat: prædicatio quoque illius non reputatur, cujus vita despicitur: hinc Superior debet seipsum in omnibus exemplarem subditis exhibere, & vitam honorabilem imitabilemque præbere, ne ei dicatur, medice cura te ipsum. -- Abbas ergo ex Dei amore & Zelo salutis fraternæ, humiliet se ipsum, & subditis suis se humiliter applicet, affabilem reddat, amorosum ostendat, & tam verbis quàm factis provocet eos ad viam salutis. Hinc ad Timotheum scribit Apostolus: *Esto exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in charitate. Prælatùs namque est quasi signum, in quod subditorum oculi diriguntur.* Atque, ut Seneca protestatur: nil in tantum inducit subditos ad virtutes, ut exemplaris vita majorum.*

Tertiò, Abbas seu Præfidentis considerare debet eos, qui melioris videntur esse voluntatis ad reformationem: & illos alliciat sibi, & adstringat, ac roboret, & tam per se quàm per illos procedat ad exhortationem aliorum seorsim & secretè, & primò illorum, de quibus est sibi major spes, quòd debeant consentire: qui si statim non consenserint, patientiam habeat: nec irascatur, sed oret pro eis, nec cesset.

Quartò, Præcipuè quoque laboret inducere Seniores ad consentiendum reformationi: qui meritò tantò libentiùs consentire debent, quò se vident viciniore ad mortem, & quò Deus eis pepercit diutiùs. Senioribus quippe consentientibus, juniores faciliùs inducuntur, & minùs audent resistere.

Quintò, Deinde Superior incipiat subditos, & Abbas conventum generaliter, piissimè, atque dulcissimè exhortari ad emendationem, ad virtutes, ad Professionis impletionem: legatque Abbas monachis aliqua verba ex Regula, quam sunt professi, potissimè ea quæ pertinent ad tria vota omni Religioni substantialia: & exponat eis, quàm periculosum atque damnabile sit, voto in professione facto non satisfacere.

Sextò, Præterea, si Abbas viderit sibi necessarium esse, vocet ad se aliquos viros religiosos, timoratos, & sapientes, præsertim Abbates Ordinis sui, qui cum ipso admoneant monachos ad reformationem, & consilio atque auxilio sibi assistant.

Septimò, Si autem aliqui essent ita rebelles &

Juri,

duri, quòd Abbas videret se majori & potentiori indigere auxilio ; posset Episcopi sui advocare subsidium, maxime si sciret Episcopum ex corde velle succurrere; & nec precibus, neque muneribus flecti debere. Si verò hoc timet, impetret aliquos Deum timentes atque idoneos, quibus Episcopus vicem & auctoritatem suam committat: Qui venientes fideliter adstent, & cooperentur Abbati.

Octavo, Denique, teste *Dionysio*, à distanti in distans non fit motus nisi per medium: & de uno extremo non venit ad aliud, nisi medium pertranseundo: Nemo quoque repente fit summus; & paulatim longius itur; hinc Abbas omnia discretissimo atque piissimo moderamine agat, non statim in principio totum ordinis rigorem Monachis imponendo; sed infirmitatibus imperfectorum condescendat, eosque paulatim ad perfectiora trahere enitatur; ita ut in primis ad observantiam substantialium inducantur, deinde pedetentim ad alia.

Nonò, Et quia qui timet Deum, nihil negligit, atque amanti nihil difficile est; hinc Abbas seu quicumque Superior magis conetur sibi commissos inducere ad Dei timorem, & amoris spiritualis fervorem, quàm ad exteriores observantias rigorosas. Nempe cum cœperint Deum timere atque diligere, spiritualisque vitæ suavitatem aliquatiter degustare, ex seipsis movebuntur ad observantiam eorum, quæ ordinis sunt, & pro salute fient solliciti. Unde nonnulli volentes alios reformare, magis destruunt eos, quia indiscretè procedunt,

dunt,

dunt, & ab exteriori rigore, corporalique observantia sumant exordium. Sicque subditi instar rei, quæ violenter movetur, trahuntur, coguntur, & tribulantur: nec tamen proficiunt, quia non habent intra se principium motionis ad bonum, ut puta timorem Dei aut charitatem.

Decimò, Præterea reformatione incepta, potest Abbas aliquos sui ordinis Monachos multum devotos & exemplares ex aliquo alio cœnobio impetrare, qui ad tempus in suo sint clauastro, ut Monachis suis nondum exercitatis in observantiis ordinis ostendant verbis & factis modum monasticæ conversationis, formam spiritalis profectûs, exercitium devotionis internæ, regularisque observantiam disciplinæ.

Undecimò, Gregem etiam reformatum Abbas cum diligentia summa custodiat, ne recidivet. Sed & Regulam suæ professionis frequentius legat, ut sciat, quomodo eum oporteat in omnibus sequi & operari; & perseveret fortissimè usque in infinem.

Duodecimò, Invocetque quotidie Beatissimam V. Mariam in adjutricem, & ceteros sanctos, eos præcipuè, ad quos magis afficitur, & Ordinis sui institutorem, ut *S. Benedictum* vel alium, si est canonizatus: ut & ipse tandem post hujus vitæ decursum Sanctorum mereatur cœtibus adunari, & tantò gloriosius coronari, quò plures fuerint per eum reformati, ad laudem & gloriam omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis, & benedictus, Amen. *Hucusque doctrinaliter, salubri-*

lubriter, & fundamentaliter præfatus Dionys.
Cartus.

Modum Reformationis Regularium pientis-
simus *Cardinalis Bellarminus* contrahit ad pau-
ciora cap. 1. 3. de gemitu columbæ c. 6. dum inquit:
ut redigam in 4. capita, eaque brevissima, quæ ad
reformationem necessaria sunt, *primum* illud ef-
se ajo, ut non admittantur ad habitum, nisi illi
qui signa veræ vocationis ostendunt. *Secundò*, ut
probatio maximè seria sit; & qui in probatione
divinam vocationem non probaverunt, omnino
ad professionem non admittantur. Nam vitæ
Christianæ perfectio quò est altior, tantò pertinet
ad perfectiores. Legant ii, ad quos ista pertinent,
Joannem Cassianum in l. 4. de institutis renuntian-
tium c. 3. 32. & 34 *Tertiò*, ut sex virtutes suprâ no-
minatæ, *humilitas, paupertas, castitas, obedientia,*
studium orationis, & perfectio charitatis diligen-
tissimè colantur: & Præpositi in omni virtutis
genere exemplo suo præluceant. *Quartò* denique
ut dent operam, ut S. Tridentini Concilii decre-
tum illud saluberrimum, & maximè necessarium
observetur, ut non plures ad Ordinem admittan-
tur, quàm qui sustentari possint ex redditibus, vel
eleëmofynis ordinariis: tunc enim Præpositi jure
cogere poterunt ad omnem proprietatem fugien-
dam & execrandam, si Ordo ipse singulis ea præ-
beat omnia, quæ singulis necessaria sunt. *h. i.*

De facilitate reformationis habetur hoc ex vi-
ta zelosissimi *S. Petri de Alcantara*; qui cum di-
ceret socio: indigeremus in nostra Religione ali-
qua reformatione; hic respondit ei: perdifficilis
hæc

hæcerit, eò quòd difficultas sit in capitibus. Respondit ille : non ita difficilis , ùt tibi videtur; nam si quisque unum reformet , id est , seipsum, totus Ordo erit reformatus. Hæc optima doctrina, impletuque facilis , si quisque in fundo cordis sui haberet terram bonam vel optimam , in qua fructificare posset semen cælestis doctrinæ.

CAPUT XVI.

De obligatione speciali Prælatorum Regularium ad vitæ communis introductionem , peculiorumque privatorum abrogationem.

NB. § Olicita cura circa hoc Prælato est adhibenda, eò quòd illa S. communitas, quàm salutaris religiosis, tam facilè à vanitatum amatoribus proscribatur, cùm quisque ex illis conetur privata amplius seligere & quærere , quod narrat S. Bern. in apolog. ad Guilielm. Abb. *Multitudinis*, inquit, *credentium erat cor unum , & anima una.* Act 4. *Ubi nunc illud unanimatis exercitium? fusi sumus exteriùs, & de regno Dei, quod intra nos est, relictis veris ac perennibus bonis , foris quærimus vanam consolationem, de vanitatibus & insaniis falsis , ac iam religionis antiquæ non solum virtutem amisimus , sed nec speciem retinemus. Ecce enim ipse habitus noster (quod & dolens dico) qui humilitatis esse solebat insigne, à Monachis*

nachis temporis nostri in signum gestatur superbia. Miles & Monachus ex eodem panno partuntur sibi cucullam & chlamydem. h. i.

I. Quæ hanc materiam concernunt, partim supra jam tum dicta sunt, partim in hoc capite dicentur; quæ tamen non ex proprio sensu, sed aliorum Auctorum sententiis depromuntur. Itaque *H. Casal. p. 4. c. 14.* in fine de prædicta obligatione hæc concludit:

Stat igitur nostra conclusio, Prælatum teneri subditos ad vitam communem reducere quantum potest; & eos depositum à se abdicare debere, dummodo Superior omnia eis necessaria providere, ac subministrare paratus sit. Quod si Prælatum id possit & negligat, tunc subditi depositum retinentes sunt tuti in conscientia, & ipse ignavia suæ meritis poenas dabit. Ubi tamen ratione paupertatis vita communis servari nequit, tum Prælatum & subditi securi sunt, servatis servandis, quæ partim supra tacta sunt, partim adhuc tanguntur in hoc cap.

II. Idem *H. Casal. p. 3. c. 11.* de modo hujus obligationis in effectum deducendæ ita discurre. Extra controversiam est, Prælatum non teneri ad compellendos suos subditos ad vitam communem, quando citra grave scandalum (si tamen tale scandalum verè & non fictè timeretur (de quo supra) id præstare non posset; Eò fortè respexerit *Cardinalis Cajetanus* (ptout rectè etiam observavit *Navarrus*) cum à Provinciali Portugalliæ interrogatus, quid sibi agendum foret pro Patrum *Dominicanorum* illius regni reformatione, re-

spon-

Ipondit : *Coge intrare mare per fluvium.* Quod perinde est, ac si diceret : *Sensim ac suaviter*, non autem ex abrupto ultimum reformationis gradum introducas ; & hoc ad præcavenda multa incommoda, ne dicam scandala oriri solita. Non dixit : *Sine eos vivere, prout faciunt* (quod bene notandum est,) Sed *coge, non autem ex abrupto & asperè*, sed humaniter quasi *per fluvium.* Procul dubio enim, ait *Navarrus*, *tenetur Prelatus restituere suos ad originarium Regula, ubi sine scandalo fieri potest.* h. i.

III. Sic practicum est ab Eminentissimo Cardinali *Horatio Spinola*, Genuensi Archi-Episopo, viro cum zelosissimo, tum prudentissimo, qui omittebat metu scandali (sic refertur à *Casal.*) quibusdã Monialibus istius civitatis vitam communem absolutè præcipere; non verò, quòd crederet se id legitimè præstare non posse ; cum è *contra se obligari ita existimaret, ut ab ea obligatione mentem avertere, aut somnum capere, die ac noctè non valeret.* h. i.

Addit *Casal.* audisse juvabit, quæ quondam piissimus ille vir mihi dixit Ferrariæ dum in transitu referrem ei, quoddam ipsius Monasterium ad communem vitam rediisse. Pater (inquirebat ille) si quis mihi felix illud nuntium afferret, omnia mea monasteria reformationem vitæ communis esse amplexata, ingenuè fateor, haud gravatè ex hoc mundo hìc & nunc emigrarem, diceremque cum Simeone : *Nunc dimittis servum tuum in pace.* Et subdit, illum hujus intentionis fuisse, quòd observantiam vitæ communis vellet absolutè

lutè, attamen suaviter & sine scandalo illis præcipere, quamvis Pontificis beneplacitum de super non habuisset. *h. i.*

IV. Effet quidem in reformatione optandum, quòd immediatè ad perfectam vivendi methodum se religiosi reducant, & perfectè incipiant; attamen si aliter fieri nequeat, pedetentim & per gradus ascendendum erit, quamvis in hoc sit periculum aut relapsus, aut permansuri teporis, maximè si Prælati immutentur, qui reformationem zelant, & fortè alius succedat qui reformationis zelator non est. Itaque (ut ait *Casal. lc.*) peculium quandoque toleratur ad vitandum grave aliquod incommodum aut scandalum; quo casu Prælati, sicut & subditi in conscientia securi sunt, servatis tamen conditionibus supra positis. Qui tamen scandali occasionem præbebunt, nullo modo tuti erunt; quia scriptum est: *Va illi, per quem scandalum venit.* Ideo dicere non omitam, quòd non omnis subditorum tumultuatio Prælatos à reformatione excuset; quia, ut *Manburnus* scribit, *pro exterminatione tanti criminis aliquod magnum est audendum: insaniant, & furiant subditi, quantum velint.* *h. i.*

V. Cùm Eminentissim. Cardinalis *Horatius Spinola* (ut refert *Casal.*) monasteria sua reformatare studeret, præcipua eorum excusatio, qui reformationem recipere detrectabant, erat monasteriorum inopia, & allegata paucitas reddituum ad vitam communem necessariorum, cùm tamen, probatione factâ, inventum fuerit contrarium, & re ipsa ostensum, complura alia cum pau-

cioribus redditibus vitam ducere communem: ideoque excusationem illam fictam fuisse ac nugatoriam: quòdque pauciora bona ad communiter vivendum, quàm in particulari cum peculio, requirantur. h. i.

VI. Superiorum aliquorum negligentium reformationem excusationes refutantur facile à *Zegnero* p. 1. c. 3. §. 5. ubi inquit: Sed dicent forsitan Superiores, adeo vitium illud peculiaritatis ac proprietatis esse radicatum, ut nullus laborum suorum fructus sit sperandus. *Respondet*: nullum adeo vitium invaluit, quin ejusdem eradicationem per Dei auxilium Superiores sperare possint, modo ipsi labores & operam impendere non omitant, & confidant in illum, qui omnia potest: præsertim, quia omnino confidendum est, quòd, qui cœpit opus bonum, nim. bonam illam voluntatem Superioribus inspirando, perficiet. NB. *Neque multorum resistantia indicium est, quòd conatus suo frustrabitur effectu; quin potius felicioris successus præsagium est.* Solet enim Diabolus obistere per homines malos tamquam per sua instrumenta operibus bonis, præsertim illis, quæ tendunt ad destructionem malæ & inveteratæ consuetudinis; vel si ex initiis illis plurima bona secutura intelligat. Hinc *S. Teresia* dum conatibus suis multos resistere videbat, prosperum exitum ominabatur; & re ipsa ita accidit; nam duo supra triginta monasteria inops virgo ædificavit, omnibus humanis destituta auxiliis, quin imò adversantibus plerumque sæculi principibus. *lectiones Breviarii. Subdit ille ibidem.*

VII. Præterea, quod bene notandum in reformationis negotio, non tantum attendendum, quis fructus hoc tempore, & inter præsentis NB. diuturna consuetudine obsecatos & vinculatos sit futurus; sed etiam quis futuris temporibus, & inter præsentium successores. -- Sed dato, quod, omni impenso labore, subditos illos à vitio illo revocare non possent; ipsi tamen animam suam liberabunt, juxta illud Ezech. 3. 19. *Si tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur; tu autem animam tuam liberasti.* Hinc illud S. Benedicti in c. 2. Regulæ: *Abbas tantum iterum liber erit, ut, si iniquo vel inobedienti Gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita, pastor earum in iudicio Domini absolutus, dicat cum Propheta Domino: justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi: ipsi autem contemnentes spreverunt me. h. i.*

VIII. Pergit idem Zegnerus. Neque Superiores à muneris sui ratione deterrere debet, quod fortè subditorum animas suis pastoralibus studiis, actionibusque exulcerari videant; vel quia nonnulli illorum clamant: *non ferunt hæc tempora strictam illam paupertatis, & communionis observantiam.* Hæc enim à Prælatiis tamquam futilia, & sese emendare nolentium voces contemnendas esse, post S. Bernardum, aliosque SS. PP. merito censuit S. Carolus Borromæus, Ordinis nostri, dum viveret, Protector zelosissimus in orat. ad II. Con-

cil. Mediol. *Nec verè est*, (inquebat ad Prælatos, in 2do suo Concilio congregatos) *cur à muneris nostri ratione deterreamur; vel quia his nostris pastoralibus studiis, actionibusq; animas eorum exulcerari videamus, qui filii sunt perditionis; vel quia populares illæ, quibus quasi ficus foliis, deformes pravique mores, contegi solent, voces audiantur; non ferunt hæc tempora veterum canonum (junge Regularis disciplina) severitatem: sic jam diu viximus, sic vixerunt, ita egerunt, qui ætate antecesserunt, vitæ institutum nihil est quod mutemus. At nos hæc atque ejusmodi contemnimus. h. i.*

IX. Eandem rursus querelam in ultimo suo Provinciali Concilio his verbis retundit idem S. Carolus Borromæus: *an fortasse actione nostra deterremur, quia hoc nostro frequenti Provincia nostra sananda studio exulcerantur animi quorundam dictitantium: Non ferunt hæc tempora veterum canonum (junge, regularis disciplina) & antiquæ Ecclesiæ medicamenta? Immo ardentius progrediemur; quoniam hæc una medicina præstantissima est, maximèq; opportunū id remedium, ut, quibus olim rationibus disciplina Christiana (adde, regularis) sata, & propagata fuit, iisdem ipsis & instauretur, & conservetur. h. i.*

X. Objectiones plures & instantias Pèculiaristarum proponit, refutatque Legnerus, & inquit: *Instabunt forsitan Superiorum alii: cur tantopere nos opponemus peculiaritati illi, quam prædecessores nostri tanto tempore tolerarunt? quare enim non permittemus, quod ipsi permiserunt? NB. Expen-*

pen-

pendant hi, qui hac ratione se ab extirpatione peculiaritatis excusare conantur, num non hoc eodem argumento Prælati, atque Monasteriorum Præpositi se ab omni reformationis studio eximere poterunt: quandoquidem præcipuus, si non unicus, reformationis scopus esse debeat, corrigere ac eradicare abusus, qui per Prælatorum negligentiam, aut nimiam eorum conniventiam invaluerunt. Quare jam ptidem *Sacra Paris. Facultas*, ut Prælatos Ecclesiæ Gallicanæ induceret ad abrogandum inveteratum, sed perniciosum quendam abusum, scripsit in hæc verba: *Nolite subdolas hominum voces audire sic dicentium: Prædecessores nostri, qui erant notabiles viri reputati, illud Festum Fatuorum (adde, peculiaritatem) permiserunt: sufficiat nobis vivere, ut ipsi.* Procul dubio, istud argumentum diabolicum est, & infernalis hæc persuasio; nam illorum exitum ignoratis, an bonus vel malus fuerit. h. i. Caput hoc concludam sententiâ *S. Chrysostr.* homil. 79. in cap. 25. Matth. *Nulla res Deo gratior est, quam ut universam vitam ad commune commodum conferas;* h. i. Idem cit. à *S. Bonav.* in c. 12. Lucæ: *De virtute, de pecuniis, & de omni dispensatione, quæ unicuique commissa est, Unumquodque ad communem utilitatem uti oportet his quæ habet, sive sapientia, sive principatu, sive divitiis.* h. i.

CAPUT XVII.

De obligatione subditorum ad acceptandum reformationem ad vitam communitatem.

I. *Thomas à Jesu Discalc. p. 4. c. 3. ait hunc statum periculosissimum esse, pluribus ex causis, in quo Religiosi sine communitate exacta vivunt. Additque omnes paratos esse debere ad reformationem prædictam acceptandam; & insuper ad omnia, quæ habent ad usum, in manus Prælatorum resignanda. Non tamen omnes parati sunt, quia non omnes paupertatis amatores, existunt, sed plures inveniuntur, qui plures excusationes suis proprietatibus apponunt, & ita reformationi contradicunt, quibus alii simpliciores adherent: & ita, reformatio si intenderetur, sæpe magna pars communitatis turbaretur, & in deteriora pericula rueret; & ob id judicatur impossibilis reformatio (in sensu ita composito) h. i. Porro ad hanc S. Communitatem voluntariè acceptandam, necessaria est in omnibus membris unanimis concordia, & malarum consuetudinum victoria. De quibus S. Bern. ad sororem c. 41. Omnes ergo unanimiter & concorditer debemus vivere in domo Dei, ut possimus diabolum vincere. Ancilla Dei quæ vult concorditer vivere, prius debet pravas consuetudines relinquere, ne sit perversa, inordinata,*

ta,

ta, indisciplinata, ne perversitate sua ceteras ancillas Dei conturbet, vel scandalizet. h. i.

II. *Navarrus* Comment. 3 de Regularibus n. 36. de hac obligatione ita discurret. Prælatus non debet reformare unum vel alterum, non reformando alios; cum, non reformatis aliis, non possit ipse solus de communi, & communiter vivere: & nemo ad impossibile tenetur, h. i. *Subdit.*

Quid autem si Prælatus præcipiat omnibus & singulis suis Canonicis, vel Monachis sub censuris, ut prædicta faciant, an peccent mortaliter, & incurrant censuras, non obediendo? Et videtur dicendum, quod sic, si *opportune* id præcipiat, & *nulla causa particularis eos excuset.* Quia qui Superiori iusta præcipienti non obedit, peccat. Dixi, si *opportune*; quia, si præciperet *ex abrupto*, ut ea facerent, antequam instituerentur Cellarius, promus, coquus, & aliæ personæ, & instrumenta *vite communi* necessaria, justè possent rogare Prælatum, ne sic ea præciperet, & appellare, si nimis urgeret, adjectâ causâ, quòd justum modum reformandi excederet. Dixi 2dò, & si *nulla particularis causa eos excuset*: quia secus, si talis causa adesset; ut quia non est refectorium, vel dormitorium, eò quòd essent vi bellorum aut incendiorum exusta, & solo æquata. Quin & fortè aliquot aliæ causæ possent efficere justam causam rogandi Prælatum, ut differret ejusmodi præceptum; donec S. Sedes Apostolica consuleretur, vel in congregatione habenda per Religiosos ejusdem Ordinis, juxta Decreta Tridentina tractaretur. h. i.

III. Grave onus est Prælati, dum subditi in hoc genere non sunt bonæ voluntatis. Hoc expertus est *S. Carolus Borromæus* Zelator Decretorum Concilii Trid. studiosissimus pariter & acerrimus, qui aliis Prælati datus est propterea in exemplum, ut exemplo suo illos ad observantiam illorum excitaret & animaret. Hic citatus ab *H. Casal* in præfatione sui opusculi, dicere solitus erat, à solis monialibus vitam communem exactè non servantibus plus molestiæ, sollicitudinis, ac laboris sibi creari, quàm à reliqua tota sua diœcesi, quantumvis hæc esset amplissima. h. i.

IV. Hanc suam obligationem si subditi non agnoscant, superiores ipsis hanc exponant, utpote qui duplicem obligationem habent, & seipsum & subditos excitandi, & reformandi, & contra abusus & vitia insurgendi. Quod si non faciant, tonat contra illos *Doctor Seraphicus* in *Ala prima* dicens: illi non sunt apti ad regimen animarum, qui licet sanctè vivant tamen contra aliorum vitia, & peccatorum pericula Zelo fervoris non inflammantur, neque dicunt cum *Davide*: numquid qui oderunt te, Domine, oderam? *Psalm.* 138. 21. h. i. De horum stricta obligatione ait cit. *H. Casal*. le. sciant superiores, sub peccato mortali etiam cum propriæ vitæ periculo teneri se, non tantum lethales culpas suorum corrigere, sed etiam quantum possunt, eos abusus omnes tollere, qui licet in singulis sint tantum veniales, regulare tamen disciplinam enervant, spiritalem subditorum profectum impediunt, & ad eorum ruinam, totiusque disciplinæ relaxationem sensim disponunt: neque ipsos defectus à se observatos, vel

vel ab aliis sibi denuntiatos solum teneri reprehendere & corrigere; verum etiam vi officii sui obligari, in suorum subditorum vitam & conversationem curiosè inquirere, quò spiritali eorum necessitati exactius possint subvenire, h. i.

V. Nec est, quòd causentur Prælati, se non velle subditos turbare, sed malle se, & illos in pace relinquere, & ita vivere, sicuti sub suis prædecessoribus vixerunt &c. Damnabilis hæc pax est, quam si interturbent, virtutem eximiam exercent, de qua *cit. Casalle* quòd sit ignavia toties in scripturis condemnata, quâ scil. quis tolerat & dissimulat, quæ non oportet, ne falsam aliorum quietem, pacemque perturbet, ideoque quemque finit pro arbitrato suo & beneplacito vivere. Nempe pacem quisque desiderat, sed vanam & mundanam, pacem carnis & sensuum, non illam Spiritus & conscientie bonæ, quam dare non potest mundus. h. i.

Q. I. Utrum Prælato negligenter agente, subditi seipsum reformare teneantur. *Respondet 1. H. Casal*, subditos in Ordine S. Francisci ad id utique obligati; hancque obligationem cum aliis deducit ex c. 10. Regulæ, ac ita concludit: quare cum in aliquo conventu vita communis negligitur, Fratres omnes sub peccato mortali ad Ministrum recurrere tenentur ut per reformationem, vel alio quocunque modo collapsam vitæ communis observantiam instauret; & illò deficiente, ad Generalem; quod si uterque negligens fuerit, ad Protectorem; qui hac in re plenariam potestatem habet, immo etiam, omnibus aliis

deficientibus, inquit *Alvarez*, ad summum Pontificem tenentur habere recursum. h. i.

Respondet idem adò adducens *Lorinum Societ.* Jesu à se consultum, etiam tutius & securius facere illos subditos, qui in aliis Ordinibus à se ipsis reformationem incipiunt, dum Prælati in hoc legnes sunt, maximè in iis locis in quib⁹ major est & intolerabilior voti paupertatis violatio. *Rationem dat*; quia si unusquisque naturæ lege teneatur sibi in necessitatibus corporalibus prospicere, quantò magis in spiritualibus, cum hæ potiores sint, & eò amplius obligent, quò anima corpus nobilitate antecedit alioquin, *qui amat periculum, in illo peribit.* Eccl. 3. 27. h. i. Qui subdit. Adde verò hanc opinionem tunc fore verissimam, quando Major pars ad reformationem propendet, aut propensura speratur, nisi tamen aliunde scandalosa quædam contradictio timeatur. -- Verùm quidquid de dicta obligatione; indubiè saltem bonam apud Deum consequetur retributionem, qui à seipso reformationem inchoaverit, & alios verbo & exemplo ad eandem protraxerit: hic certè magnus erit in regno cælorum: erit, inquam, sal terræ, & lucerna supra candelabrum posita, qui scommata & improborum dicteria despiciens, simplicium tenebras exemplo suo discutiet. h. i.

Q. 2. an maturitatis honestas præsupponatur in superiore Regulari ad hoc, ut ab eo reformationem acceptent subditi.

R. Quòd illa plurimum conducat ad hunc finem.

finem. De qua D. Bonav. in Ala 4ta ita loquitur. Maturitatis honestas perpenditur in tribus, scil. primò si non sit levis in moribus, videl. in verbis & iocis scurrilib⁹ & irreligiosis: quæ licet in se quandoq; quasi grata putentur, min⁹ tamē reverendū faciunt & verendū. S. Greg. enim dicit hom. 3. in Ezech. non facile ejus predicatio accipitur, si levis in moribus videtur. Nam, etsi Prælatus magis diligendus sit, expedit tamen, ut ab insolentibus timeatur. Ipse amor aliquo modo suavior sentitur cum reverentia mixtus; ut patet in amore Summi Conditoris, cujus quò Majestas sublimior agnoscitur, dignationis dulcedo sapidi⁹ amatur. Psalm. 24. 8. dulcis & rectus Dominus &c. Secundò, Si non sit levis in affectu per privatos amores notabiles, tam ad feminas, quàm ad quaslibet leves personas. Licet enim meliores in affectu præferendi sint minoribus; & omnes propter spem salutis in Christo amplectendi sint; in actu tamen exterioris exhibitionis taliter se gerat ad omnes, ut nullus se ab eo contemni propter alios suspicetur: sed quilibet se ab eo diligi præsumat, & fiducialiter ei quasi singulari amico confidat; ne alicui indignatio, & invidia in aliis nutriatur: sicut Fratres Joseph, qui oderunt eum pro eo, quòd à Patre singulari⁹ amaretur. Gen. 31. 4. Tertiò, si non est levis in proposito, & inconstans in consilio, ut, quod jam placet, mox displiceat: modò velit unum, modò contrarium, ubi rationabilis causa non apparet. Quis enim ejus judicio credat, vel ejus voluntati se contemperet, quem in neutro stabilem agnoscat? ideo ejus subiecti non possunt ejus revereri prudentiam, nec sciunt

se parare ad voluntatis eius obedientiã: & in utroq;
non potest esse modicum nocumentum. 1. Thess. 5.
Omnia probate, quod bonum est, tenete. Et facite
sine hesitatione, & retractationibus, quacumque fa-
citis. h. i. Subdit.

Ubi tamen causa rationabilis subest justa neces-
sitas, vel pia utilitatis, ut aliter & aliter aliquid
fieri expediat, non est hoc levitatis, sed maturitatis:
quia, sicut stultum esset, melius mutare in deterius;
sic etiam stolidam est obstinatio tam pertinaciter in-
herere conceptis, ut pro majori bono & aperto ab
eis flecti non possit. Esther. 16. 9 Nec putare debetis
si diversa jubeamus, ex animi nostri venire levi-
tate; sed pro qualitate, & necessitate temporum, ut
reipublice poscit utilitas, ferre sententiam. Unde
& Apostolus excusat se, cum promiserit Corinthiis,
se venturum, quod non levitate hoc promiserit, sed
pro eorum utilitate 2. Cor. 1. 15. volui prius venire
ad vos &c. Eccli. 10. 2. Secundum iudicem populi, sic
& ministri eius: & qualis est Rector civitatis, talis
et inhabitantes in ea. Hucusque Seraphicus Do-
ctor.

Q. 3. Quale iudicium ferendum de religio-
so, se opponenti introducendæ vitæ communi, si
fiat auctoritate Pontificia, vel ex commissione
eius, ad abolendos abusus, & ingentes exorbitan-
tias, quas ex ejus defectu videt Summus Pontifex
in aliquem Ordinem irrepisse. R. Talis non vi-
detur verè Religiosus, quoad religiosæ perfectio-
nis seu potius vitæ ad illam professionis observan-
tiam (licet sit quoad obligationem; & nisi ali-
quam justam causam prætereundam possit, cur se ad
tem-

tempus opponat) *Ratio est*; quia talis ponit obstaculum divinæ gratiæ, nam, *qui subtrahit se ab obedientia, subtrahit se à gratia* l. 3. imit. c. 13. *econtra vir obediens loquetur victoriam.* Prov. 21.28. Immo talis vult manere in obstaculo continuo, seu impedimento vel remora perfectionis; qualis est peculiaritas, per quam impeditur & subinde suffocatur charitas.

Q. 4. *Quid maximè consolari possit, & animare Superiores Regulares, introducere satagentes, aut (vi obligationis suæ ex juramento contractæ) promoventes, & zelantes exactam observantiam Regulæ, & constitutionum propriarum suæ Religionis. &c.* Ex multis præcipuum esse, si, de mandato Sedis Apostolicæ, ejusve sola auctoritate, Reverendissimi & Eminentissimi DD. Cardinales Ordinum Protectores eis eminens & forte protectionis brachium adpromittere, eosque protegere dignentur. Et hoc ipsum meam qualemcumque exiguitatem non modicum exhilaravit, excitavit, & confortavit, quòd, dum his conscribendis intentus occupor pro salute mea & animarum mihi à Summo Pastore concreditarum, insperatò accipiam literas hodie 14. Januarii, 1699. quas motu proprio dignatus fuit ad meam exilitatem confortandam clementer conscribere *Reverendiss. & Eminentiss. nostræ Religionis Protector Cardinalis Leander Colloredus.* Cujus cum Singularis zelus, sollicitudo paterna, clementia provida, & suavitas industria, mellis charitatis sollicitæ juncta & uncta, liquidò cernatur

natur

natur in iisdem ; maximè è re causæ Dei promovendæ futurum visum fuit , tenorem earundem huic libro inserere ex intima cordis reverentia ad eundem Eminentiss. D. Cardinalem Protectorem , utpote de Ordine nostro optimè meritum , & summè sollicitum ; maximè cùm inde majorem consolationem , confirmationem , & eruditionem jam tum pro nunc , & majorem pro futuro hausturos nos confidamus ego & confratres mei , quàm ex sola tenuitate ariditatis sermonis mei.

Adm. Rev. Pater.

Bonus nuntius de terra longinquà advenit , quòd paternarum traditionum emulatores facti , ac vestra professionis non ignari , ea fueritis animo meditati , qua Seraphici Instituti cultores maximè descent , ut nimirum abdicantes proprietatem , & secularia desideria , vitam vestram exinde instituire disposueritis juxta exactam normam Sacrarum Constitutionum Urbanarum , qua tanto discretionis sale sunt aspersa , ut quasi scelus idololatriæ sit , nolle ipsis acquiescere , illasque ad amissum servare . Quapropter maxima gestiens letitia , calamum cohibere non potui , quin superabundantis in me gaudii testimonia proferrem , cùm majorem horum non habeo gratiam , quàm cùm videam Patres meos in veritate ambulare , ac sanctæ paupertatis , ac perfectæ communitatis divitias agnoscentes , frigida illa verba meum , & tuum à suis cœnobiis eliminare , ac Parentis Optimi inherentes vestigiis expectare , quòd crescere nos faciat Deus in terra paupertatis nostræ ,

Con-

Constantes igitur estote in tam sancto proposito. Quod si aliqui ex vestris nimium metuentes studeant adversari; vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, nec ab incepto desistite, donec Christus formetur in omnibus, ac, quae in professione fuerunt promissa, sanctè atque inviolabiliter custodiantur. In quo quidem proposito Apostolica Sedis, ac meum, qui apud ipsam licèt immeritus Protectoris vestri munus exerceo, auxilium numquam deerit. Interim Natalitios hosce dies faustissimos vobis deprecor, ut, qui olim natus est pro nobis IESUS, semper renascatur in vobis. Roma ipso Sanctissima Nativitatis die, Anno 1698.

Adm. R. P. T.

Amantissimus ex corde

**LEANDER, CARD. COLLO-
REDUS.**

Sit Vobis cor unum & anima una
cum JESU & mecum.



Hos idem unxit Amor

*Adm. Rdo. et eximio Patri
P. Antonio Wispingh ordi min. Conu:
Prouinciali. F. C. F. S.*

J. v. Sande

Ecce, quàm bonum, & quàm iucundum,
habitare Fratres in unum! Ps 132.



JESU, MARIA,
FRANCISCE, ANTONI,

Vobis hic Liber V. supplex advolvitur, devotus dedicatur, & per brevi oratione, quod sibi deest, precatur. Quia nim. hucusque in prioribus Libris multæ *Premissa* præmissæ sunt, at sine *junctura*, sine unione; hinc ergo Liber hic *juncturam*, & unionem conclusionis cum præmissis, subditorum ad invicem, & cum Superioribus in eodem sensu, eademque sententia, à vobis exposcit, *quos idem junxit amor*; huc omnia ibi dicta referebantur, ut hic uniantur, effectumque sortiantur. Hinc & omnium Patrum & Fratrum totius Provinciæ nostræ corda manibus Fidei vestræ, *S.P. Franciscæ, & S. Antoni Patavine* supplex configno, ut illa vos offeratis Sanctissimis manibus JESU, & MARIÆ, in eorum SS. Cordibus aliquanda; ut ita pristinam amittentia formam, ex nunc *sapiant idem, quod E in Christo JESU.*

Medium autem hoc faciendi, & vobiscum in *unam juncturam* conveniendi, & ut unumquodque *os jungatur ad juncturam suam*, hic in mundo cum non inveniamus, hinc ad supernas officinas recurrimus. Ideoque vos alloquor cum Regio

E.

Pro-

Prophetai. Paral. 12. 17. *Pacificè venistis ad me, ut cor meum jungatur vobis.* Ut autem jungatur, prius in vestrorum Cordium sacra officina excoquatur. Quod dum vehementer desidero, dum humiliter peto; mihi, meisque Fratribus in veritate spero eventurum, quod de Vulcano commentus est olim Plato. Ille dum obvius fieret duobus amicissimè conjunctis, & conjunctissimè amicis, inter plura alia singularis benevolentiae signa, iussit eos rogare aliquid obsequii aut muneris, praesertim quod ex officina sua eis offerre posset. Illi cum praesentem occasionem prehendere velent, supplices rogarunt, ut (cùm Faber Deorum esset, cui non difficile est artis suae potentiam, instrumentorumque usu accommodò quidvis efficere) colliquaret eos, unumque ex duobus redderet; atque ita consequerentur amoris sui *Finem*, qui est animae, corporisque *unitas*. Quod ille dum fecisset, qui prius duo ingressi fuerant, jam unus egrediuntur.

Finis etiam literarii hujus qualiscumque laboris mei non est communitas, seu, ut quidam ex vocis sono conjicere malè posset, dispersa pluralitas, sed *in communitate S. Unitas*, ut nim. simus omnes non *alter-ego*, sed *unus-ego*. Ad hunc *S. Finem* assequendum, cum SS. Patribus nostris ad vos O JESU, & MARIA confugimus. O B.V.M. sub tui S. Cordis officina, sub quo Filium Dei concepisti, & portasti, *ima summis* (ut canit Ecclesia) *& terrena divinis junguntur*, & ut uniantur, non colliquantur, sed consecrantur humana per divina, ima per summa, terrestria per caelestia. Et in divina

vina officina Cordis tui, O JESU Fabricator cordium, Deus cordis mei, sentere devotissimæ Spontæ tuæ, Sororesque individua *Gertrudis*, & *Mechtildis*, itidem dilectissima tua *Catharina Senensis*, sua corda à S. Corde tuo, utpote ignea virtute prædito liquefieri, absorberi, tuoque per amorem uniri, & ex tunc aliâ quasi formâ ac naturâ superindui.

Eja, vestris binis cordibus tamquam ustrinis, aut potius Fornacibus conflatoriis, JESU, & MARIA, non ridiculô commentô, sed felicitatis eventûs Sacramento, omnia, per quæ hucusque Libehic cucurrit grammata, omniaque omnium corda, *meum* quoque, ac *tuum, suum*, frigida illa verba immittimus eliquanda, colliquanda; ut inde exeat non *aureus ridiculus vitulus* (ut olim infelicibus Idololatriis Exod. 32.) Sed concors omnium animus, *quos idem junxit amor*, id est, amor JESU, & MARIAE, juxta illud S. August. in Regula: *Omnes ergo unanimiter, & concorditer vivite*. Ut ita sint *juncta penna unius ad alterum*, id est, idem intendamus, id ipsum sentiamus, & *non sint in nobis schismata*: & *manus sub pennis eorum*, id est, ut mutuô auxiliô invicem juvemus, succurramus, supportemus, proinvicem laboremus. Quod ut fiat, vos JESU, MARIA, FRANCISCE, & ANTONI alloquimini corda nostra, & cum effectû dicite:

Unanimes animæ, concordia vivite corda:

Unum quæis velle, & nolle dat *unus amor*.